



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

V I N D I C I A E

P R O

Lege & Imperio:

Sive

Dissertationes duæ, quartum una
est de L E G E in C O M M U N I ,
alterade E X E M P T I O N E P R I N C I P I S à
L E G E , institutæ potissimum

Contra tractatum

H O B B I I D E C I V E .

Quibus

Annexa est Celeberr.

D. G I S B. V O E T I I Disquisitio
textualis ad i Sam. 8. de Jure
Regio Hebræorum.

Authore

M. G I S B E R T O C O C K I O .



U L T R A J E C T I ,

Ex Officinâ Jacobi à Doejenburgh ,
Anno c I c L X I .

Generoso ac Nobilissimo Herot,

D. JOHANNI de RENESSE
à ZUYLEN,

Domino de Haer, Cockengen, Spen-
gen, Draeckenburch, Mont-
farts-gerecht, &c.

Generose ac Nobilissime Vir,



*I*ssertationes bascē
meas de Lege &

Imperio, quibus
legem & imperium contrā
novitates quasdam in omni
Republ. & præsertim no-
strâ periculosisimas, quæ
passim in tractatu Hobbii
de Cive occurruunt, vin-
dico, antehac à me conscri-

ptas, nunc autem recogni-
tas & recusas, cum animo
mecum agitarem, cui potis-
simū offerrem, cujusque
titulo ac nomine libelli hu-
jus frontem munirem, &
cogitatio mihi subiret de
tuī nobilitate, & egregiis
animi & corporis tui doti-
bus, quibus Reipubl. hūic
nostræ, tanquam Illustr.
bujus, Provinciæ Ultraj.
Ordinum membrum, avitâ
Nobilitate conspicuam,
in servis & præes, quan-
sumque tibi, sub cuius tute

lā ac patrocinio ego in Eoc-
kenganā Ecclesiā Mysteria
Dei dispenso, debeam;
munusculum hoc literari-
um qualemque, etiam si
longe sit infra vestram di-
gnitatem, tamen æquitate
E^{go} humanitate vestrā fre-
tus, & benignā tuā erga
me, quam semper in te per-
spexi propensione, ut præsi-
dio, patrocinio & tutela tua
gaudeat, gratumque meum
erga te animum publicē te-
statum facerem, debita cum
reverentia, sacrum volo et
facio;

facio; obnixe rogans Deum
Opt. Max. ut Nobiliss.
vestram Amplitudinem, u-
nâ cum dilectissima et No-
bilissima tua Conjuge ad
hominis sui gloriam, Ec-
clesiae et Reipubl. nostræ
bonum, animaliumque ve-
stiarum salutem sempiter-
nam.

Diu servet incolumentem

Vestra Ampl. & Nobil. obseruant.

M. G I S B. C O C K I U S.

in Cockengen & de Haer V.D.M.

PRAEFATIUNCULA

A D

LECTOREM.



*Uo sunt potissimum, qui-
bus omnis Respubl. con-
tinetur; Lex sc. & Impe-
rium : de Lege in hanc
rem eleganter Cicero pro Cluent. Ut
corpora nostra sine mente, sic Ci-
vitas sine Lege suis partibus, ut
nervis ac sanguine, & membris uti
non potest. Et ut Livius scribit lib.
I. Multitudo coalescere in unius
populi corpus nullâ re, quam Legi-
bus potest. De Imperio autem Se-
neca lib. I. de Clementia ; Vincu-
lum est, per quod Respub. cohæ-
ret, ille Spiritus vitalis, quem tot
millia trahunt, nihil ipsa per se fu-
tura, nisi onus & præda, si mens
illa Imperii subtrahatur. Materia
ergo hæc digna est, quæ à generosis*

Præfatiuncula

ingeniis excolatur, ut & Legum au-
thoritas & Imperii dignitas sarta
tecta conservetur; quo nihil utilius
est, & magis necessarium in vita
humana: in qua cum laude multi vi-
ri eruditione celebres versati sunt;
inter quos, meo quidem judicio, ex-
cellit Althusius in sua Politicâ, qui
non tantum ratione, & ex profanis
authoribus, sed & ex sacris Literis
materiam hanc doctè & orthodoxè
tractavit. Hæc autem duo sunt ca-
vita, quæ mihi tractanda suscepi hoc
tractatulo, quo præsertim dogmata
quædam, quæ in tractatu Hobbi
de Cive deprehendi, non tantum eu-
taxiæ politicæ, sed & pietati &
bonis moribus aduersa, detegerem
& refutarem; qui viâ tritâ relicta,
ut methodo accuratiore nobilem hanc
philosophiam excoleret, confusus a-
cumine sui ingenii, tales hypotheses
sibi commentus est, quibus, ausim
dicere,

Ad Lectorein.

dicere, non tantum leges naturæ, & æquitatem omnem naturalem, & mutuam inter homines charitatem pessum dat; sed & majestatem principis in tyrannidem convertit, & cives ad servilem conditionem penitus abjicit: qualia sunt; Omnia habere & facere in statu naturæ omnibus licere, adeoque in statu naturæ mensuram juris esse utilitatem. art. 10. cap. 1. Ante imperia justum & injustum non existere, quia omnis actio suâ naturâ est adiaphora; quod justa vel injusta sit, à jure imperantis provenit. art. 1. cap. 12. Peccare posse subditos obediendo principibus suis, seditiosa opinio. ib. art. 2. Præcepta decalogi de parentibus honorandis, de homicidio, adulterio, furto, & falso testimonio leges civiles esse; non leges naturales nisi eatenus tantum, quatenus lex

Præfatiuncula
naturalis jubet observare pacta.
art. 9. cap. 14. Tyrannidem non
esse statum civitatis diversum à le-
gitimâ monarchiâ. *art. 3. cap. 7.*
Magistratum in subditos, *cap. 7 art.*
~~x~~ 4. dominum in servos, *cap 8. art.*
7. parentes in filios, injurios esse
non posse, *cap. 9. art. 7.* Liberi
subjiciuntur patribus, non minus
quàm servi dominis, & cives civi-
tati; & similia. Quare cum vide-
rem libellum hunc multorum mani-
bus teri, & quod magis est, à non-
nullis commendari, factum est, ut
paucis abhinc annis duas Disputa-
tiones conscripsierim, & in Acad.
Utrechtinâ publicè defenderim,
quarum una est de Lege in communi,
altera eaq; inauguralis de Exemp-
tione principis à lege; quibus fun-
damenta novæ hujus philosophiæ
pro modulo mei ingenii conatus fui
subvertere: hoc autem, cùm à ne-
mine,

Ad Lectorem.

mine, quod sciam, tunc factum es-
set, existimavi mihi fraudi esse
non posse, si à me fieret, quod hacte-
nus factum erat à nemine. Cùm au-
tem tunc pauca exemplaria pro mo-
re Academicō essent impressa, & ta-
men postea viri nonnulli, quibus id
recusare non potui, à me petiissent,
ut has Disputationes de novo relege-
rem & prælo subjicerem, agrè id à me
impertrarunt; quòd vidissim incautis
saltē usui eas esse posse, ne fibi per-
suaderi finant, nobilem illam philo-
sophiam non minus quam Euclidis
clementia demonstrari. Prodeunt er-
go hæc non nova, sed parùm emen-
data & aucta; quibus visum fuit
annectere Rever. & Clariss. D. Gisb.
Voetii disquisitionem textualem ad
I Sam. 8. v. 11, 19. de Jure Regio
Hebræorum, tum propter affinita-
tēm materiæ, tum quòd viderem,
eum textum ab Hobbio etiam adhi-

Præfatiuncula ad Lectorem.

beri, ut evincat, potestatem princi-
pis esse summam, absolutam, sive
quâ majorem nemo mortalium
habere potest in seipsum; adeò ut
quidlibet possit impunè facere, le-
ges condere, lites judicare, pœnas
sumere, viribus & opibus omnium
suo arbitrio uti, atque hæc omnia
jure; adeoque etiam ratione istius
potestatis simplicem & cœcam in
omnibus obedientiam illi à subdi-
cis deberi. art. 13. cap. 6. & art.
15. ibid. art. 6. cap. 11. & art. 1.
cap. 12. & quæ passim plura occur-
sunt ejusdem farinæ, quæque passim
in his disputationibus & notavi &
refutavi. Quid autem præstiterim,
fretus evidentiâ veritatis, libenter
Lectoris studioſi judicio submitto.

D I S-

DISSERTATIO PRIOR
DE
LEGE IN COMMUNI.
C A P. I.

De Lege, & terminis affinibus.



Ermini affines sunt *Justitia*, *Jus*, *Lex*. *Lex* est Juris regula, vel ipsa Juris constitutio. *Jus*, si à jubendo deducatur (quod multis placet), erit quasi supremæ potestatis iussum; & sic idem ferè quod *Lex*. Aliàs notat iustum; sive quod juri jam dicto, seu Legi, consentaneum est. Ponitur etiam pro potestate, quam quis habet in rem aliquam; cuius violatio *injuriam* constituit. *Justitia* circa jus versatur; ita quidem ut actus justitiæ sit, suum unicuique jus tribuere. *Vide Beccan. Theol. Schol. tract. de jure & justitia. Ames. in cas. lib. 5. cap. 1. aliosque.* Hæc sunt à philosophis, theologis, &c. vulgo recepta: quæ si vera sunt, fallitur Hobbes, qui

contra hactenus receptam doctrinam docet, quod *inuria* propriè non sit *ius*, sed pacti, aut fidei date, violatio; & *inuria* fieri non possit, nisi ei, qui cum contraximus: Proinde si quis alium in statu naturæ (quem singit) vitâ privaret; aut usu bonorum communium prohiberet, nō censendus esset ipsi facere *injuriam*. Et tamen docet ibidem, idem significare *injuriam*, quod actio vel omissio *injusta*; at annot. ad art. 4. distinguit *injustitiam* ab *inuriâ*, quod *injustitia* nomen significet relativè ad legem, *inuria* tum ad legem tum ad personam certam. Verba ejus sunt; *Injustitia* nostra significat relativè ad legem; *inuria* tum ad legem tum ad personam certam, nam *inustum* omnibus *inustum* est; *inuria* vero potest esse, nec tamen mibi vel illi, sed alii, & quandoque nemini privato, sed civitati tantum; etiam nec homini cuiquam nec civitati, sed soli Deo: nam pacto & *juris translatione* fit, ut *inuria* in hunc vel illum fieri dicatur. cap. 3. art. 3. Pacti violatio, sicut & dati repetitio, qua semper sita est in aliquâ actione vel omissione,

Vocatur *injuria*, actio autem illa vel omis-
sio *injusta* dicitur; ut idem significant *in-
juria*, & *actio vel omissione injusta*; atque
utraq*ue idem*, quod *pacti vel fidei violatio*.
Quę profecto quomodo conciliari pos-
sint, ego non intelligo. sc. idem esse *in-
juriā* & *actionem injustam*, & utram-
que *pacti violationem*, & tamen distin-
gui, hoc est, non esse idem, ita quidem
ut *injustitia* nomen significet tantum
relative ad legem; *injuria* vero tum ad
legem tum ad personam certam, ita
ut *pacto* & *juris translatione fiat*, ut *in-
juria* in hunc vel illum fieri dicatur:
hoc est, *injustitiam* esse tantum legis,
injuriā autem esse & legis & *pacti vi-
olationem* & in eo distingui, & tamen
idem esse *injuriā* quod *actio injusta*,
sc. utramque *pacti violationem*; nisi
fortè velit, aliud esse *injustitiam*, aliud
actionem injustam: ænigmata illa sunt;
quæ solvat Oedipus, non Davus. De *in-
juria* nomine porrò docet loco citato,
quod videatur *inde actioni vel omissioni
tribui*; quia sine jure est; ut pote quod ab eo,
qui agit vel omittit, translatum antea in-

D E L I C E

alium fuerat. At multa sine jure fiunt, quæ tamen secundùm te *injuriā* non fiunt: v. g. si quis sibi inferat violentas manus; rogo, an hoc faciat *jure*, an sine *jure*? procul dubio sine *jure*: qui enim *jure* faciat, quod juris naturalis fundamento primo aduersatur per art. 7. cap. 1. & tamen, secundùm te, nemo sibi ipsi injuriam facit; juxta illud, *vole*nti non sit *injuria*. art. 7. cap. 3. fieri ergò aliquid potest sine *jure*, & tamen non *injuriā*, non ergo idem est *injuriā* factum, & sine *jure* factum. Sed videamus, an *injuria ei fieri non possit*, quicum nihil contraximus; fingamus in statu naturali, quem fingis, ubi omnia sunt omnium, nec ulla sunt pacta, unum alium occidere ex vanâ gloriâ & falsâ virium estimatione. art. 4. cap. 1. aux ab usu bonorum communium arcere; quæro, an non injuriam ei fecerit? si affirmes, habeo quod volo, sc. injuriam ei fieri posse, qui cum nihil contraximus; si neges, quæro quid obstet? nam i. violatur jus alterius; sc. quod habet ad vitam tuendam & media ad vitam-

tuendam necessaria, & quidem ex vanâ
 gloriâ & falsâ virium æstimatione: nam
 quo nomine id crimen appellabis, quo
 sic violatur jus alterius? an *injustitiam?*
 at illa significat relative ad legem tan-
 tûm, non ad personam; an *damnum?* at
 hoc non est per se crimen; restat ergo
 ut appelletur *injuria*. 2. ipse dicis, *in-
 juriam dici, quod sine jure fit;* qui ergo in
 statu naturæ alium privat vitâ ex vanâ
 gloriâ, aut facit hoc jure, aut sine jure;
 si sine jure, habeo quod volo, sc. inju-
 riam fieri ei, quicum nihil contractum
 est; si jure, vide quid inde sequatur, sc.
 in statu naturæ jure aliquem alium oc-
 cidere ex vanâ gloriâ; adeoque aut hoc
 faciendo non peccare contra leges na-
 turales, aut peccando contra leges na-
 turales jure facere; quod absurdum:
 maneat ergo, injuriam propriè esse ju-
 ris, non pacti, violationem; fidei autem
 & pacti violatio *perfidia* appelletur; sic
 Cicero 11. phil. *Dextræ, quæ fidei testes
 esse solebant, perfidiâ sunt & scelere viola-
 tæ.* Absurdum planè, & inauditum quo-
 que est, quod docet cap. 14. art. 3.

quod

quod nihil aliud sit *Jus*, quam libertas naturalis, à legibus non constituta; sed relictæ: quam primum restringit lex naturalis & Divina; residuæ restringunt leges civiles, &c. adeoque *Jus* & *Lex* differant ut contraria; quod *Lex* vinculum, *Jus* libertas sit: Nam si *Jus* significet libertatem naturalem à lege non constitutam, sed relictam; sequitur, id fore juris Divini, vel civilis, quod lege Divinâ vel civili non est constitutum, sed relictum; & ad probandum, hoc vel illud esse juris Divini, vel civilis, probandum foret, hoc vel illud lege Divinâ, vel civili, neque præcipi; neq; prohiberi; quod quām absurdum sit, vel cœco appetet. *Jure sublato*, inquit Cicero, nihil est quare exploratum cuiquam esse posse, quid suum, aut quid alienum sit; at juxta placita nostri Novatoris, *Jure*, i. e. libertate naturali, quam habeo in statu naturæ in omnia, sublatâ, tum destrum cuiquam quid suum, quid alienum sit, exploratum esse potest. 2. Falsum est quoque, residuam relinquiri aliquam libertatem à lege Divinâ, quam postea

restringant leges civiles. Omne enim bonum faciendum, vel malum fugiendum, continetur in lege naturali, seu Divinâ; saltem implicitè, ut conclusiones in suis principiis, inde per necessariam illationem educendæ: *leges enim* (etiam civiles) *oportet esse Dei*, ut *judicium*, quod secundum eas pronuncian-*dum est*, *Dei sit*, Deut. 1, 17. 2 Chron. xix, 6, 7, 8. Sunt autem Dei, quatenus deri-*vantur ex lege Divinâ*, sive *natura homi-*
num impressâ, sive *SS. Literis expressâ*, per processum à generali ad specialia, & determinationem secundum varias cir-*cumstantias*, potestate majestaticâ Dei vi-*cariâ*; ut preclarè rev. D. Essenius disp.
 de subj. Christi ad Legem Div. part. 3.
 & juxta August. *Omnium legū est inanis censura, nisi Divina legis imaginem gerant.*

C A P. I I.

De Legis Definitione.

His ita præmissis, ad definitionem Legis pergo, quam hoc modo definit Arist. σόμος ἵνα λόγος σεληνίστης ὁ μηλοχίας κοινὸς τόλεως, μηνύων πάντας τρέπεται ἐκατοντά, id est, oratio definita juxta

munem consensum civitatis, indicans, quomodo singula oportet agere. Hanc autem definitionem rejicit Hobbes; quod non sit legis simpliciter, sed civilis: *manifestum enim est, inquit, leges divinas non esse ortas à consensu hominum, neque etiam naturales; nam si à consensu hominum originem haberent, etiam eorundem consensu abrogari possent;* cap. 14. art. 2. ipse autem art. 1. cap. 14. legem definit hoc modo. *Lex est mandatum ejus personæ (sive hominis, sive curiæ) cuius præceptum continet obedientiæ rationem:* Sed impri- mis, quod ibidem notat in definitione Arist. (quod sc. ea non sit legis simpliciter, sed civilis) non vedit in suâ. addit enim (sive hominis, sive curiæ,) *At manifestum est quoque, leges Divinas non esse ortas aut ab homine, aut à curiâ; neque etiam naturales: nam si ab homine, aut curiâ, originem haberent, etiam eorundem consensu abrogari possent:* sic ipse art. 2. se suo jugulat gladio. Nimirum hic est novatorum mos, ut dum aliis contradicendi studio flagrant, sui inimicorum sæpe sibi ipsis turpiter contradictant. Sed a-

liud hic est, quod longè graviore censurâ dignum est; quòd sc. in lege, unica ratio obediendi sumatur à voluntate præcipientis: Sc. *Sic volo, sic jubeo: stat pro ratione voluntas.* Antea nimis dixerat cap. 12. art. 2. peccare subditos obediendo principibus non posse; & art. 1. neque ad singulos pertinere iudicationem boni & mali. Impia nimis hæc sunt, quam ut à Christiano assensum imprimere debeant. Vide Althus. Pol. c. 200 & 38. Rectè dicunt JCTi rationem esse animam legis; interim tamen rationem legis non esse superstitione inquirendam bene monent; rationem autem esse animam legis, hoc modo probat Schonbornerus Pol.l.3.cap.3. Ratio est anima legis, & lex ex ratione semper astimanda est; ut, ubi ratio non est, ibi nec lex sit: cùm justitia sit animi habitus, & quidem bonus, qualis esse non potest, nisi quatenus ratione perficitur; & quemadmodum justitia sine ratione non est, ita nec lex. Vide plura Dissert. nostrâ posteriore cap. 7. Quod verò adfert Hobbes ad confirmationem suæ opinionis, *Pacto Dei cum Ada-*

mo Gen. 2. 15. de non comedendo de ligno
 scientia boni & mali, prohibitam esse dis-
 putationem de mandatis superiorum. c. 12.
 art. 1. &c. 16. art. 2. futilius est, quām
 ut longam refutationem requirat; quod
 etiam Clar. ḥ magistri G. de Bruyn in
 disp: suā inaug. de utroque Fædere Divi-
 no, meritò censoriā virgulā notavit.
 Præferendæ ergò sunt definitiones
 Thomæ; quarum altera exstat 1. 2. q.
 90. a. 1. Lex est quadam regula & men-
 sura actuum, secundum quam quis in-
 ducitur ad agendum, aut ab agendo retra-
 bitur; altera art. 4. Lex est quadam ratio-
 nis ordinatio, ad bonum commune, ab eo,
 qui curam communitatis habet, promulga-
 ta. Hinc ergò legem hoc modo potius
 definimus :: Lex est quadam regula ac
 mensura actionum moralium, ad bonum
 commune, ab eo; qui curam communitatis
 habet, promulgata. Quatuor porrò in
 sequentibus explicabimus. 1. quæ sit
 materia legis. 2. quis finis. 3. cuius sit
 legem condere. 4. dicemus aliquid de
 promulgatione legis.

CAP.

C A P. III.

De materiâ legis.. Et an dentur actiones quadam ex se, & suâ naturâ bona vel mala.

Materia Legis sunt actiones morales, sive humanæ; eæque vel faciendæ, vel fugiendæ: illæ præcipiuntur præceptis affirmativis; hæ negativis prohibentur: oportet enim, ut ait Cicero, *vitiorum emendatricem esse Legem, commendatricemque virtutum.* Atque hinc petitur discrimin inter peccata omissionis, ad quæ etiam referimus peccata malæ actionis, in quibus conditio aliqua ad actum aliquem lege mandatum necessaria, omittitur; & commissionis, quòd etiam referenda sunt peccata participationis in factis alienis. Porrò quòd duplex discrimin *Bceanus tract. de lege in com. cap. I. q. 3.* jubeat notari inter legem affirmativam, & negativam. *Unum sc,* quòd negativa prohibeat omnes actiones malas; affirmativa non præcipiat omnes bonas:

Alte-

Alterum, quod Lex negativa prohibeat malum omni tempore, & pro omni tempore; affirmativa non præcipiat bonum pro omni tempore; non probamus: nam quantum ad prius membrum, id minus solidum est, quemadmodum enim abstinere debemus ab omni malo nobis vetito; sic facere debemus omne bonum nobis mandatum: circa posterius autem disquiritur, an non detur actus aliquis bonus, ad quem etiam pro omni tempore obligetur creatura rationalis? affirmandum saltem videtur de iis quæ sunt juris divini naturam. Verum luet hic querere,

An actiones quædam humana dentur ex se, & suâ naturâ bona, vel mala? Bocanus loc. cit. statuit actus quosdam, ut Deum colere, proximum diligere, parentes honorare, esse ex se & naturâ suâ bonos, eosque præcipi lege naturali; & contrâ furtum, falsum jurementum, homicidium, &c. esse actus ex se & suâ naturâ malos, ac proinde lege naturali prohiberi. Certè toleranda est magis hac sententia, quam Hob-

bii, qui non veretur docere art. 9. cap. 14. *præcepta decalogi de parentibus honorandis, de homicidio, adulterio, furto & falso testimonio. simpliciter leges civiles esse; & eatenus tantum naturales, quatenus lex naturalis jubet observare pacta: unde sanè sequeretur, actiones illas nihil minùs esse, quam per se & naturā suā bonas & malas; sed tales esse tantum per leges civiles; ceterum per se & naturā suā fore indifferentes, vel etiam contraria per leges civiles posse definiri: nec mirum est id ipsum statuere, quia in statu naturæ, ubi nullæ sunt leges civiles, omnia contendit esse licita; rapere, occidere, adulterari, pejerare, &c. quia aliter fieri non potest, juxta illud, quod necessarium, quod studio pacis, quod sui conservandi causâ sit, recte sit. annot. ad art. 27. cap. 3. sed profectò invalidum est argumentum; omnia facere, & possidere licet in statu naturæ, quia aliter fieri non potest: quæro enim, unde factum sit, quod aliter fieri non possit; & an aliter fieri non potuisset, si homo in statu innocentie persistisset? non potest dici,*

dici, quòd aliter fieri non possit, id esse ex priuævâ institutione naturæ humanae, nisi velis cùm statu innocentiae potuisse consistere homicidia, rapinas, & similia flagitia, quæ lège Divinâ damnantur; quod absurdum: si verò dicatur, factum id esse ex lapsu Adami, sicut necessariò dicendum est, si convenienter sacræ Scripturæ loqui velimus. *Rom. 5.*

i2. quæro, an ergò aliquid fieri possit licitum eo, quòd per peccatum factum est, ut aliter fieri non possit? Nec tamen Becani sententia simpliciter probanda est; quare ut intelligatur, quid in hac materiâ statuendum sit, notare juvat, dupliciter tantùm se habere posse actiones humanas.

1. in statu possibilitatis, prout sunt in potentia objectivâ.
2. in statu actualis existentiæ, prout sc. subjectivè, aut potius effectivè sunt à Petro, vel Paulo; at verò neutro modo, sunt actiones hæc per se & naturâ suâ bonæ vel malæ: non primo modo; quia ut sic ne quidem entia realia sunt propriè, sed tantùm ex hypothesi, & *καταχειπάσι;* eodem igitur modo

do neque bonæ, aut malæ, propriè dici possunt: non posteriori modo, quia ut sic plus quam manifestum est, habere eas suam bonitatem & malitiam moralem à lege; quoniam moralis eorum bonitas in conformitate cum eâ, malitia autem in disformitate ab eâ formaliter consistit. Non ergo hi actus, Deum colere, diligere proximum, parentes honorare, sunt boni ex se & suâ naturâ; sed fluit eorum bonitas, ut jam dixi, ex imperio & voluntate Dei, qui de regulandis his actionibus leges naturales menti creaturæ rationalis impressit. Atque hanc tenus in thesi verum est, quod Hobbes dicit c. 12. art. 1. omnem actionem naturâ suâ esse adiaphoram; & quod actio aliqua justa, vel injusta sit, à jure imperantis provenire: sed in hypothesi hoc falsum est, nimirum ante leges civiles, & ante imperia, justum & injustum non extitisse: & Reges legitimos, quæ imperant, justa facere imperando; quæ ventant, vetando injusta. Sed hæc jam superius Cap. I. refutavimus, cum dixi-

mus, ante imperia extitisse leges naturales; unde particulares leges, quae sunt leges civiles, tanquam conclusiones, subsumi debent, & pro ratione circumstantiarum varie determinari. Alibi autem disertè agnoscit Hobbes, quod hic negat; nimis annot. ad art. 27. cap. 3. his verbis: *breviter in statu naturæ, justum & injustum non ex actionibus, sed ex consilio & conscientiâ agentium astinandum est;* Sed status naturæ fuit ante imperia; quare ergo, si justum & injustum fuit in statu naturæ, non ex actionibus, sed ex consilio & conscientiâ agentium judicandum, certè falsum est, ante imperia justum & injustum non extitisse. Sed circa jus naturale Divinum, quo creatura rationalis ad amorem & cultum Deo præstandum obligatur, hoc obiter hic notandum; aliud esse si loquamur de his actibus, amare Deum, Deum colere; ubi procedunt, quæ haec tenus diximus: longè aliud, si dicamus, Deum naturâ suâ amabilem, adorabilem, & hypotheticè (si ponatur

tur creatura capax cultus & amoris Dei) amandum, adorandum; etiam antecedenter ad omnem liberæ voluntatis suæ actum: unde Deus per naturam suam non potest creature rationali non præscribere reverentiam, cultum, amorem sui; & prohibere odium, blasphemiam, &c. Dei. Sic Dei Sanctitas diffundit se in Leges: unde consequenter, & proximè æstimatur actionum rationalium moralis bonitas, vel malitia. Vide *Clariss. D. Effenii dictam disp. part. 4. th. 4.* Atque hoc est punctum, in quo à nobis dissentit *Rhetor fort. in Vindiciis Gratia, Exercit. 2. c. 3.* Imprimis de Providentia. Item *Maccov. loc. com. cap. 9. edit. à Nic. Arnoldi*, in quantum statuunt, omnem Legem esse à liberrimâ Dei constitutione; adeo ut vel non adorandus potuisset esse Deus, etiam posito homine. Argumenta contra hanc sententiam videri possunt apud *Clariss. Voetium App. ad disp. de Jure & Justitia, Dei, part. I.* An verò actus aliquis adeo intrinsecè malus sit, ut Deus non

possit esse author ejus secundūm substantiam , vel ut anomia sive defectus ab actu substrato distingui non possit, sicut vult Arminius & cum illo Remonstrantes , vide disputantes Theologos Maccov. loc. cit. cap. 10. Item Twissum in Vind. lib. 2. part. 1. sect. 15.

C A P. IV.

De Fine Legis; & de Pœnis, an futurum tantum spectent; & de Tyrannide.

Sequitur finis Legis, de quo constat, debere esse bonum aliquod : sed cum in Communitate duplex bonum considerari possit , privatum sc. summi Imperantis , & publicum totius Communitatis ; quæritur , utri bono Lex, ut justa sit , inservire debeat ? ad quod respondeo ; sicut Lex est vel Civilis in Cœitate , vel Divina in Regno universalis Dei , sic utramque in publicum bonum totius Communitatis suæ debere ordinari. Et primò de Lege Civili, vix ulla est dubitatio : quod enim

optimum est in Civitate, ad illud oportet Legem Civilem dirigi ; at hoc est publicum bonum totius Communitatis ; nam quis ignorat , bonum publicum majoris momenti esse , quam bonum privatum , adeoque illud huic præferendum ? recte enim Marius apud Salust. *Quò universa Respubl. pluris est*, quam Consulatus , aut Prætura ; eò majore curā cam administrari , quam hac peti debere. Quocirca , cùm eum etiam in finem Reges & Principes sint à Deo & Communitate constituti , ut bonum publicum & commune procurent , nullus aliis eorum finis esse debet in ferendis Legibus , quāni publica omnium subditorum salus , τὸ δὲ εὐελαύνειν , ut loquitur. Arist. i Pol. i. & quidem præcipue τὸ δὲ εὐελαύνειν , hoc est , justitia , pietas & honestas publica : nam remotā justitiā , ut recte August. quid aliud sunt Regna , quam magna latrocinia ? & juxta Ciceronēm de Offic. lib. 3. Nihil est utile , quod idem non honestum : nec quia utile , honestum ; sed quia honestum , utile : quod ipsum & variā

elogia & tituli, quibus ornantur Principes in sacris Literis ab ipsis exigunt; ut quando appellantur Duces, Antecessores populi, Pastores, Patres patriæ, Custodes & Salvatores populi, Regni Caput; & quæ similia passim occurrunt in sacris Literis. vide inter alia Gen. 20.

& 26. Jud. 3. 9. 1 Sam. 9. 16. & 10.
1. 2 Sam. 5. 2. & 7. 8. 1 Reg. 14. 7.
2 Reg. 20. 5. Dan. 2. 38. Ps. 78. 71,
72. & imprimis quid aliud sibi vult
Apostolus, quando ad Rom. 13. eos
appellat *Dei Ministros*, quam eos se-
cundum Domini Dei sui voluntate in
cui etiam sunt ratione in reddituri,
Eph. 6. 9. Rempubl. administrare &
Leges condere debere; ut pietas & ho-
nestas inter homines cum pace vi-
geat; ut loquitur idem Apost. 1 Tim.
2. nam (sunt verba Ciceronis) ut *Gu-
bernatori cursus, Medico salus, Impera-
tori victoria, sic Principi beata civium
vita debet esse proposita*, libr. 1. de Re-
publ. Scire debent Principes, se non
propter senet ipsos, sed propter sub-
ditos Rebus publ. præfici: unde laudata

per omnia secula est vox illa principis Hadriani; se vid. Reipubl. gesturum, ut sciret rem populi esse, non suam. Proinde Florentinum illud monstrum: *Subditos simpliciter esse propter Magistratus*; Item, *Politiam sine ullam virtute, fide, & religione, feliciter posse administrari*, non tam refutatione, quam relegatione dignum est: vide Liebenth. Coll. Pol. exerc. 1. Alth. Pol. c. 19. 20. 21. &c. Et quam patum absit ab hac monstrosa sententia Hobbes, colligere licet, præter alia vel inde, quod ad probandam absolutam & illimitatam Principis potestate in medium proferat jus illud Regium Samuelis, 1 Sam. 8. art. 6. cap. 11. nam aut nihil probatur ab Hobbe ex illo textu pro absolutâ potestate; aut probatur, quod modò rejecimus; sc. populum esse propter principem, adeoque jus esse principi, in Reipubl. administratione & condendis legibus, publico bono posthabito, privatum suum intendere; quod verba Hobbii expendent manifestum fiet: *Particularius, inquit, describitur*

potentia Regia à Deo ipso per Samuelem.
 Verba Dei ad Samuelē sequuntur: *Pra-diciis jus Regis, qui regnaturus est super eos,*
&c. hoc erit jus Regis; filios vestros tolleret
& ponet in curribus suis, &c. filias quoque
vestras faciet sibi unguentarias, &c. Oli-
veta optima tolleret & dabit servis suis, &c.
1 Sam. 8.8. &c. Quibus subjungit; Non-
ne est potentia hujusmodi absoluta? est
sane; verum recte respondit Besold. Sy-
nops. Pol. cap. 1. th. 4. Samuelem loco
citato non loqui de jure Regis legiti-
mio, sed usurpato, & inoribus pravis
vicinarum Gentium, quorum relati-
one Samuel populum dehortatus est,
ne pergeret urgere Regis electionem.
Quare nullius momenti est, quod
Hobbes posso urget ab ipso Deo ap-
pellari Jus Regis: probandum erat in-
telligi ibi Jus legitimum, non usurpa-
tum; eo magis, quod ὅριον, quod est in
textu Hebreo, non notet tantum Jus
legitimum, sed simpliciter etiam mo-
rem, consuetudinem; sicut recte id
probat Junius ad illum locum ex
1 Sam. 2. 13. Atque posteriori modo

vocem hanc hoc loco esse intelligendam, patet ex vers 18. *Hos.* 13. item *Deut.* 17. 14. &c. Probat idem vinea *Nabothi*, *1 Reg.* 21. vide item *Alth. Pol. Cap.* 9. n. 15. & subjunctam disquisitionem textualem rev. D. Voetii. Secundò; Etiā in Regno universali Dei Leges Divinæ ordinantur non in bonum Dei, tanquam privatum; sed totius Communitatis, in quâ Deus ut Rector, membrum *καρ' ἐξ οχήματος*, & caput, est considerandus; homines & angelii ut subditi: finis enim Legum Divinarum, & actionum humanarum angelicarumque idem esse debet; at actiones humanæ & angelicæ, ut sint ordinatae, dirigi debent in honorem & gloriam Dei; *1 Cor.* 10. 31. Sed gloria Dei, totius communitatis & Dei & hominum & angelorum bonum conamune, involvit. Duo enī in gloriâ Dei consideranda sunt; *primum* est ipsa manifestatio sapientiae, bonitatis, justitiae, potentiae Divinae; *alterum* est subjectiva in hominibus & angelis agnitione perfectionum illarum essentiæ Divinæ;

vina; gratioſa æternæ beatitudinis do-
 natio, & justæ impiorum poenæ, qui-
 bus ſubjectivè in hominibus & ange-
 lis perfectiones illæ Divinæ manifeſtan-
 tur. Unde fallitur Crellius Socinianus
 contra Grotium, qui de poenis damna-
 torum ſtatuit, eas in privatam ſoliuſ
 Dei, peccatis offensi, utilitate in or-
 dinari: Negari enim nec potest, nec
 debet, damnatorum poenas redundare
 etiam communi quâdam ratione in u-
 tilitatem totius communitatis. Nam
 1. hoc publicuſi quoddam eſt, quod
 damnati experiantur iuſtitiam Dei,
 quam etiam ipſi agnoscere coguntur.
 2. cùm Leges ſervare, & iuſtitiam co-
 lere, omnium interſit, improborum
 peccatis omnes cominuni quâdam ra-
 tione laſi cefendi ſunt: quare ergo e-
 tam in eorum bonum, damnatorum
 pœna redundare debet; ut hac ratione
 per poenas peccatum in ordinem redi-
 gatur, & danno in per peccatum coin-
 unitati illatum refaciatur. Deus
 certè, ut Rector, publicam personam
 gerit, & bonum publicum curat: quod

bonum de Deo accipiendum ~~honestum;~~
de subditis autem istius ~~honestias~~ con-
venienter loco suo, & subordinatè ad
Deum, quandò Deus subditis suis con-
tradistinguitur. Vide hac de re Claris.
D. Essènium Triumph. Crucis lib. 2.
Sect. 2. cap. 1.

Verùm socinianum Crellium su-
perat Hobb. c. 4. art. 9. ubi negat, De-
um gloriam quærere in morte pecca-
toris ; id est, sicut intelligi debet,
in justâ morte peccatoris gloriam ju-
stitiae suæ intendere. Ne autem le-
ctor dubitet (nam sanè vix videtur
credibile talia viro Christiano posse
in intenti venire) de sensu authoris;
hic ipsissima ejus verba exhibeo : ad
marginem citati loci hæc leguntur :
*Præceptum legis naturalis est, quod pœna
futurum tantum spectent. & in ipso art.
Ad sextam legem confirmandam pertinent
omnia loca, quæ jubent fieri misericordi-
am, & citat Matth. 5. 7. & Lev. 19. 18.
& pergit; Sunt autem, qui hanc legem
non modò non confirmatam, sed & infir-
matam Scripturis putant ex eo, quod im-*

prius post mortem, ubi nullus emendationi,
 neque exemplo locus est, pena tamen ma-
 neat eterna. Solvunt, inquit, objec-
 tionem hanc aliqui, dicendo, Deum nulla ob-
 stricatum lege omnia referre ad gloriam
 suam, sed homini non licere idem facere,
 quasi, N.B. Deus gloriam quereret, hoc
 est, placeret sibi in morte peccatoris. Sed
 si Deus non querat gloriam, hoc est,
 gloriam justitiae suae intendat in morte
 peccatoris, quorsum ergo Deus pecca-
 tores plectit eternam morte? responde:
 quid haesitas? Institutio, inquit, pena et-
 terna fuit ante peccatum, & respexit hoc
 tantum, ut metuerent homines peccare
 in futurum? obstupui, steteruntque co-
 mæ, & vox faucibus haesit: quid enim
 est severas Dei evanimentiones ludi-
 brio habere, si hoc non est? & quo pa-
 sto sc̄clestis hominibus latior porta ad
 omnem nequitiam possit aperiri non
 video; nam aut impii post hanc vi-
 tam erunt in Regno cœlorum; quod
 opinor non dicet; aut in inferno eter-
 nis penas sunt cruciandi; aut, sicut So-
 cинianis placet, ira eterna est tantum

pœna dænni, nō sensus, hoc est, impiorum annihilationis. Si eligat hoc postremum, iisdem armis, quibus pugnamus contra Socinianos, hic hostis debellandus est: si secundum; habeo quod volo; pœnas non futurū tantum spectare sed & malum præteritum. Nec miretur lector, me suspicari, authorem his verbis infernum tollere: satis enim evidenter indicat author, pœnas irrogari non posse etiam à Deo, ubi nullus est emendationi aut exemplo locus; sic enim loquitur, art. II. cap. 3. *Infligere pœnam nullo alio fine licitum est; nisi ut ipse, qui peccavit, corrigatur; vel alii ipsius supplicio moniti fiant meliores.* His assumo: at neuter finis locum habere potest in pœnis æternis post hanc vitam impiis à Deo infligendis; nam id non puniendi sunt impii æternâ morte post hanc vitam, ut ipsi corrigantur, qui absq; omni spe gratię in barathruni desperationis à facie Dei erunt abjecti. Nec 2. ut cæteri eorum exemplo moniti fiant meliores: nam nec id necesse erit beatis, qui in bono erunt

consummati; nec proderit damnatis,
qui in malo erunt obstinati; non ergo
puniendi sunt impii à Deo post
hanc vitam. Hæc non sunt refutan-
da, sed detestanda. Ex loco etiam ci-
tato patet, non de pœnis tantum in
Republ. adhibitis, sed & Divinis intel-
ligendum esse quod cap. 3. art. 11. do-
cet idem Hobbes, Scil. In ultione, seu pœ-
nis, spectandum esse, non malum præte-
ritum, sed bonum futurum; hoc est, infli-
gere pœnas nullo alio fine licitum esse, ni-
si ut ipse qui peccavit corrigatur, vel alii
ipsius supplicio moniti fiant meliores. Sed
quorsum ergo Christus Filius Dei
horrendas illas pœnas luit? an tantum,
ut nos ipsius exemplo moniti fiamus
meliores? at ubi jam Satisfactio Chri-
sti pro nobis? ubi Redemptio? ubi Re-
ligio? Pœnis peccata in ordinem redi-
genda sunt: nam cum peccatis auth-
ritas, sive Dei, sive Magistratus, viola-
ta sit, & tota communitas læsa; offici-
um, sive Dei, sive Magistratus, est tan-
quam iusti judicis, & autoritatem su-
am delictis violatam vindicare, & re-
stitutio-

stitutionem damni, quod toti co*n*mu-nitati illatum est, procurare Rom. 3.
vers. 6. 7. 25. Sed objicit Hobbes, 1.
*Quod unusquisque lege naturali teneatur
alteri ignoscere; modo cautum prius sit
de futuro tempore.* Resp. tenetur qui-dein unusquisque lege naturali alteri ignoscere, quatenus omnis vindicta privata est illicita: non tamen inde se-quitur in poenitentia non esse spectandum malum praeteritum. Publica enim vin-dicta tantum abest, ut legi alicui natu-rali aduersetur, ut Magistratui à Deo sit injuncta, Rom. 13. Exigit enim Deus & bonum commune ut iustitiae publicae satis fiat. 2. objicit, quod ultio, quatenus solum praeteritum consideratur, nihil aliud est praeter triumphum, & gloriam animi, quae ad nullū finem dirigitur (nam prate-ritum contemplatur, finis autem futura res est) quodque ad nullum finem dirigitur, va-num est. Sed tam facile à nobis nega-tur, ultionem (loquimur de ultione, seu vindictâ publicâ) quatenus solum praeteritum consideratur, nihil aliud esse quam triumphum & gloriā animi; & à yanā

vanâ gloriâ proficisci, quâ à te asseritur: non dictata, sed arguméta requirimus.

2. similiter vanitate ipsâ vanius est dicere, vanum esse, quod ad nullū finem dirigitur: quis enim ignorat, finem absolutè ultimum, qualis est gloria Dei, ad nullum finem dirigi; alioqui finis ultimus non esset: nec tamen quisquam tam vanus est, ut eum vanum propterea ausus sit appellare. 3. Similis est probatio, quâ probas ultionem talem ad finem nullum dirigi, quia præteritum tantum contemplatur, finis autem futura res est: contemplatur enim quidem malum præteritum, ita tamen ut occasione mali præteriti intendat ordinem justitiae; cui satisfieri à Magistratibus, qui vicem Dei in his terris gerunt, cum boni publici, tum Dei summi judicis maximè interest.

His addo; dicere pœnas non respicere malum præteritum à modo loquendi omnibus usitato abhorret. Sic Horat.

Rarò antecedentem scelestum deseruit pede pœna claudio. Quod verò addit Hobbes in fine citati art. Violationem pretensæ legis

legis naturalis, hoc est , in ultione spe-
ctare malum præteritum, esse crudelita-
tem, non video quomodo à contum-
liâ in Deum & Magistratùs excusari
possit. Cùm ergò, ut in præcedentibus
dixi, leges ordinari debeant in usum
boni communis , commodè hîc qua-
ritur ; *An omnes illi sunt dicendi Tyranni,*
qui non communem fovent & spectant u-
tilitatem ? Sic sentit Arist. & Beccan-
cit. tract. Sed limitat hoc Besoldus :
et si coram Deo qui hoc facit Tyrann-
nus sit , attamen si statim populus ta-
lem rejicere vellet, pauca imperia tur-
bis carerent. Alth. verò Pol.c.38. sta-
tuit illum esse Tyrannum , qui obsti-
nate, violatâ fide & religione jurisju-
randi , vincula & fundamenta conso-
ciati corporis Reipubl. revellit ac dis-
solvit; nec resisti tantùm ipsi ab Epho-
ris Regni, (quibus hoc incumbit,) li-
cere ; sed & exauctorare , & è medio
tollere. Sed longè aliud sentit noster
Hobbes: *Tyrannidem non esse statum ci-*
vitatis diversum à legitimâ Monarchiâ ,
cap.7. art. 3. Quicquid fecerit is , qui in

civitate habet summum imperium, impune esse, cap. 6. art. 12. Absolutum ipsi concessum imperium, simplicemque deberie ei obedientiam, ibid. art. 13. Nullis eundem civitatis legibus tenori, ibid. art. 14. Nemini quicquam proprium esse contra illum, qui habet summum imperium, ibid. art. 15. Ipsius esse determinare lege civili, quid sit furtum, homicidium, adulterium, injuria, ibid. art. 16. & que plura sunt hujus notæ. Ergo sanè ante imperia, neque furto, neque homicidio, neque adulterio, neque injuriæ fuisse locus, per cap. 6. art. 16. Et per eundem art. poterit is, penes quem est summum imperium, ex furto legitimum acquirendi modum, & ex illicito homicidio licitum facere; adulterium in legitimum concubitum, injuriam in justitiam, infernum sc. in cœlum convertere. Rursus, rapiat, spoliat, occidat Monarcha; nihil tamen fecerit præter legitimi monarchæ officium, per cap. 7. art. 3. vel quia nullis legibus civitatis, nullis pactis tenetur, justè furtum, homicidium, adulterium.

terium, & quamvis patrabit injuriam: justè dico, siquidem *jus est libertas à legibus non constituta, sed relicta*, per cap. 14. art. 3. denique, si jussu summi principis idololatriam, furtum, adulterium, homicidium, & cætera flagitia subditi committat, non peccabit; siquidem obediendo principibus peccare subditi non possunt, per cap. 12. art. 2. Sed potius hæc recusantes peccabunt, quòd cognitionem justi & injusti sibi arrogaverint, per eundem art. An ergò peccavit Daniel, Dan. 3. Petrus, Act. 4. vers 19. & 5. vers 24? En, quorsum hæc abeant.

C A P. V.

De potestate Legislatorid; & an Atheus sit subditus in Regno Dei.

Tertium de quo nobis dicendum erat, sc. cuius sit Legem condere, non est difficile: constat enim cum Lex ordinari debeat ad bonum commune, eum solùm Leges ferre posse, qui habet curam boni communis; sc. qui

communitati præest ; sed quoniam eodem fundamento nititur & jus regnandi , & legem ferendi , non incommodè hic quæritur ; quid in Deo radicaliter fundet jus regnandi ? Arminium h̄ic refutavit Twissus in Vindic. I. 1. part. 2. sect. 4. Maccov. cap. 18. loc. com. Confer etiam Ames. Medul. I. 2. c. 4. Et Clariss. Effenius in supradictâ disputatione accuratè contra Remonstrantes , & nominatim Cūcellem , defendit ~~ταύτην~~ Divinam radicaliter in Deo fundare istam potestatem ; quare me rursus ad Hobbiūm nostrum converto. Is docet cap. 15. art. 5. Jus regnandi in Regno naturali Deo esse à solâ potentia irrefribili. Similiter art. 7. obligationem obedientiæ Deo præstandæ procedere ab imbecillitate humana : idque probat hâc ratione ; quia in statu naturæ unicuique jus fuit in omnes regnandi ipsi naturæ coœvum ; quare si quis cæteros potentia in tantum anteisset , ut resistere ei ne omnes quidem conjunctis viribus potuissent , ratio quare jure sibi à naturâ

concesso decederet omnino nulla suis-
set. *Resp. 1.* Retorqueo hoc argumen-
tum; rationem quare de jure sibi à na-
turâ concessò non posset velle discede-
re, nullam video: sed quòd in Deo hoc
jus fundare debet, tale oportet esse,
ut ejus vi Deus non magis huic suo
juri renunciare, quàm se ipsum abne-
gare, possit. *2.* Prèsupponitur hîc, non
probatur, omnibus in statu naturæ jus
esse regnandi in omnes: quainvis non
negem omnibus in statu naturæ jus
esse in omnia, quæcunque ad legitimi-
mam vitæ defensionem & sustentatio-
nem forent necessaria. *3.* Angeli in
tantum homines potentia anteēunt,
ut iis homines resistere, ne conjunctis
quidem viribus, possint: at quis dicet,
iis competere jus dominii in homines,
propter istuim potentia excessum? *4.*
Non apparet quomodo irresistibilis po-
tentia jus regnandi fundare possit: nam
aut qui tantâ potentia esset præditus,
ordinaret imperium *1.* in privatum
suum bonum: at hoc injustum esse su-
perius probatum est; neque adeò vo-
luntati

luntati benè ordinatæ convenire potest: aut 2. in bonum commune; at non apparet jam, quare regnare vellet: Hæc enim *Societas voluntariò contraheretur*; & in omni societate queritur voluntatis objectum, i. e. id quod videtur unicuique congradientium bonum sibi, per cap. 1. art. 2. Ex his videimus ergo, quam nullum sit dogmatis hujus novi fundamentum. Interim hoc addimus. 1. ad exercitium hujus juris in Regno universali Dei, Deo potentiam irresistibilem esse necessariam. 2. Illam potentiam adhuc aliquatenus fundare in Deo jus regnandi; quatenus scil. ingreditur ~~in se~~, illam, & excellentiam Divinæ naturæ, quæ in aggregato omnium Divinarum perfectionum constituit. Ad argumenta, quæ ex Script. profert Hobbes non est operæ pretium respondere.

Quæritur, Num Atheus non subditus in Regno Dei, sed hostis, dicendus sit; adeoque non jure imperii, sed jure belli puniendus? Resp. Hobbes cap. 14. art. 19. Affirmit; & 15. art. 2. inquit,

*Soli autem in Regno Dei censendi sunt, qui ipsi sum & Rectorem omnium rerum es-
se, & præcepta hominibus dedisse, & pœ-
nas in transgressores statuisse, agnoscunt.*
*Quasi verò aliquis unquam adeò ab
omni humanitate alienus fuerit, qui
nec Deum esse omnium rerum Re-
ctorem, nec præcepta omnibus homi-
nibus dedisse, nec pœnas in transgres-
sores statuisse, sibi firmiter adeò per-
suasum habuerit. Rectè Theologi non
acquisitam tantum, sed & innatam esse
(contrà quām sentit noster Hobbes) o-
mnibus & singulis hominibus notiti-
am de Deo, constanter contra Socinia-
nos, & convenienter S. Scripturæ de-
fendunt. Vide Clariss. D. Hoornb. *Socin.*
conf. lib. I. cap. 7. neque eos latere
potest, Deum esse omnium Rectorem,
& præcepta dedisse omnibus homi-
nibus, pœnasque in transgressores sta-
tuisse, quorum *cordibus opus legis inscri-
ptum est*, una testimonium reddente ipso-
rum conscientiâ, & cogitationibus sese
mutuo accusantibus, aut etiam excusanti-
bus, Rom. 2. 15. Optimè Cicero: de
omi-*

hominibus nulla gens est , neque tam im-
 mansueta , neque tam fera ; quæ non , eti-
 am si ignoret , qualem Deum habere dece-
 at , tamen habendum sciat . Et alibi : O-
 mnibus innatum est , & in animo quasi in-
 sculptum , esse Deos (vellem Deum dixi-
 set) Sed quid dicit noster Novator ? Di-
 co igitur , inquit cap . 14 . annot . ad art .
 19 . Etsi ab aliquibus Deum esse , lumine
 rationis sciri posset ; tamen homines in vo-
 luptatibus , vel divitiis , vel honoribus per-
 quirendis continuè occupatos ; item homi-
 nes , qui rectè ratiocinari non solent , vel
 non valent , vel non curant , denique insi-
 pientes , quo numero athei sunt , scire non
 posse . Pessimè sanè . Placuit hīc & Ci-
 ceronis & Hobbii verba exprimere , ut
 videret lector , uter sc . Ethnicus ille
 Cicero ; an v . hic homo , qui Christianus
 haber i vult , Christianæ fidei conveni-
 entius loquatur . Sed Secundò , Siqui-
 dicm peccatum non sit , ubi non est lex ;
 & nulla sit lex , quæ non sit mandatum
 ejus , qui summum habet imperium ;
 alterutrum necessariò dicendum est ,
 aut Atheum esse subditum in Regno
 Dei ,

Dei, aut atheismum non esse peccatum: qui posterius audet afferere, næ ille in atheismi suspicionem mihi venit. Sed excipit. 1. atheismum non esse propriè peccatum contrà legem aliquam Dei, aut atheum propriè subditum in Regno Dei, *quia nemo sumnum imperium habet, quod non sit ei nostro consensu delatum*: quasi verò imperium Dei in suas creaturas, & homines sc. penderet ab eorum consensu; & Deus non esset Rex, nisi homines velint. 2. Agnoscit esse peccatum, & quidem maximum, damnosissimumque; sed referri debere ad peccatum imprudentiæ, & puniri à Deo atheum non tanquam subditus punitur à Rege, sed ut hostis ab hoste. Sed resp. Atheum non esse dicendum subditum, peccare tamen eundem peccato imprudentiæ, næ magna mihi imprudentia, aut impudentia potius videtur: nemo enim peccare potest, quin sublex sit; cùm peccatum sit *anomia*, I. Joh. 3. 4. Sublex autem nemo est nisi subditus, & ad quem se extendit jurisdictione im-

imperantis : Subditus ergo dicendus est Atheus , & hostis tamen ~~xat' ixi. xv.~~, est enim omne peccatum inimicitia contra Deum , Rom. 8. 7. & maximè Atheismus. Obj. Hobbes c. 14. annot. ad art. 19. Nullam potui invenire legem , juxta quam athei injustitiae essent condemnandi: non est ergo peccatum strictè dictum, seu malum culpæ ; sed peccatum imprudentiæ, quod non est contra legem , quale descripsit cap. cit. art. 15. in quo genere , atheismi peccatum ab ipso Deo fuit relatum , Ps. 14. 2. dixit insipiens in corde suo; non est Deus. Resp. l. Peccant Athei contra 1. præceptum decalogi. 2. Vocas atheismum peccatum imprudentiæ, sive ignorantia; & negas esse peccatum strictè dictum, seu malum culpæ : est ergo atheismus tantum ignorantia puræ negationis , aut potius imprudentia quædam ; nunquid ? 3. Quid hoc sibi vult ; non est peccatum strictè dictum, sed malum culpæ ? inaudita profectò & perabsurda distinçio peccati, in strictè & latissimè dictum; cur non dicis potius nullo modo esse

esse peccatum: nam negas esse contra legem? 4. Planè insipientis est urgere velle Ps. 14. 2. *Dixit insipiens*, &c. ad probandum Atheismum non esse peccatum injustitiae; nam & *Hos. 13. 12.* Ephraim vocatur *Filius insipiens*; & tamen peccata ejus vocantur *iniquitas*, v. 12. sed 5. Afferis atheum puniendum non esse jure imperii; afferis etiam injustitiae non esse condemnandum: itaque justus est atheistus; non saltem unjustus; Ergo neque jure belli puniendus est: cum bellum ex utrâque parte non possit esse justum; & omnis pœna propter injustitiam sit: quare nullo modo puniri potest. Quibus hoc addo; siquidem docet Hobbes, irresistibilem potentiam in Deo fundare jus Regnandi, non video, quâ ratione in dubium vocare possit, Atheum subditum esse in Regno Dei; nam sic argumentor; qui subest ei, quod in Deo fundat jus Regnandi, subditus est in Regno Dei: at Atheus subest ei, quod in Deo fundat jus regnandi, utpote potentiae Dei irresistibili. Nam si non

subesse potentię Dei irresistibili, aut es-
set, quia Deus eū sibi subesse non vult,
aut quia eum subjicere non potest:
non quia non potest; nam hoc implicat
contradictionem; sc. potentiam Dei
esse irresistibilem, & tamen non posse
sibi subjicere atheum, hoc est, athe-
um ei posse resistere: non quia sibi sub-
esse eum non vult; sufficienter namque
voluntatem suam declarat eo, quod
eum tanquam hostem puniat jure bel-
li; eo ergo declarat se eum sibi subje-
ctum velle. Hæc & similia, quæ pas-
sim notavi, talia mihi videntur, ut satis
mirari non possim, hunc hominem ul-
los, qui boni Christiani haberi volunt,
sibi suffragantes habere: cùm ita tur-
piter in omnem pietatem & Christia-
nismum inpingat; & ea titulo demon-
strationum Mathematicarum ornari,
& ceu tales lectoribus in libri fronti-
spicio commendari, quæ mihi potius
scopæ dissolutæ videntur, quæque tan-
tum abest ut se mutuo apodicticè in-
ferrant, ut potius se mutuo tollant &
evertant.

CAP. VI.

De promulgatione Legis. Et nūm nātura, quas vocamus leges, propriè atque accuratè loquendo leges sint?

Restat ultimum , *Promulgatio* scil. sic dicta , quasi provulgatio; unde eleganter Festus , *Leges promulgari dicuntur, cùm primùm in vulgus eduntur, & legenda proponuntur.* Vide Deut. 31. 12. promulgationem hanc esse legi essentiali probat Hobbes cap. 14. art. 13. quia lex est legislatoris mandatum; mandatum autem est declaratio voluntatis: non ergo lex est, nisi voluntas legislatoris declaretur, id quod fit promulgatione. 2. Idem etiam inde constat , quod duplex sit legis officium ; subditum dirigere , eumque obligare : Sed neutrum lex præstare potest , nisi facta promulgatione subditis innote scat. Et vel hinc manifestum est , minùs solida esse , quæ de lege æternâ disputation Scholastici cum Thomâ : nulla enim lex creaturæ, nisi actualiter

existenti, promulgari potest; ne dicam nunc quod Thomas legem aeternam extendat ad omnium creaturarum motus & actiones, cum sic illam definit, quod sit *ratio Divina sapientiae, secundum quam dirigit omnium creaturarum motus & actiones in suos fines.* Interim tamen ab aeterno fuit in mente Divinâ idea, seu conceptus practicus gubernandæ creaturæ rationalis, conjunctus cum voluntate obligandi eam; cuius ideatum & expressa imago est lex naturalis, quæ ingenito lumine naturali habitualiter promulgata, actuali dictamine rationis naturalis actu promulgari concipitur, cum ratio nobis dictat, hoc vel illud esse faciendum, aut fugiendum. Circa legem positivam humanaam hoc obiter hic notandum est; ut ea obliget non sufficere, ut legislator externo signo proponat, & manifestet subditis suam voluntatem; sed præterea requiri, ut id fiat solenni ritu. Cuius rei ratio est; quod principes, qui legem condunt, sustineant duplicem personam, unam privatam, publicam alteram:

ram : ut ergo constet an ex publicâ potestate vclint obligare , necesse est , ut aliquâ solenni & publicâ ceremoniâ testentur se hoc facere velle. Ex quibus patet falli Hobbiūm,cum naturæ, quas vocamus, leges quâ tales negat propriè atq; accuratè loquendo leges esse.cap. 3.art.33.his verbis; *Cùm enim,inquit,nihil aliud sint quam conclusiones quædam ratione intellectæ de agendis & omittendis.* Lex autem propriè atque accuratè loquendo, sit oratio ejus, qui aliquid fieri, vel non fieri, aliis jure imperat : non sunt illæ propriè loquendo leges, quatenus à naturâ proccidunt. Quatenus tamen eadem à Deo in Scripturis Sacris latæ sunt , legum nomine propriissimè appellantur. Resp. 1. An ergo non propriè & accuratè de illis loquitur Apost. Rom. 2. 15. ubi vocat , τὸ ἐποιῶν τὸν θόρυβον ? 2. Si propriè atque accuratè loquendo tantum sunt leges, quatenus à Deo in Scripturis Sacris latæ sunt; aut ante promulgationem legis à Deo in Scripturis Sacris propriè & accuratè loquendo homines peccare non potuerunt, cùm peccatum sit ~~accidens~~

pia, 1 Joan. 3. aut si peccaverunt propriè atque accurate loquendo, non tam
 men ~~et pia~~ aut legum transgressione
 propriè dictâ; quod absurdum. Quin
 gentes propriè peccare non potuissent,
 ut quę legem scriptam non habuerunt,
 Roin. 2. 15. sed soli Judæi: neque a-
 deò *prærogativa* illis fuisset, quod solis
ipsis eloquia Dei essent concredita, Rom. 3.
 1, 2, 3. Quod Lex per Mosem instin-
 ctu Spir. Sancti sit Scriptis mandata,
 hoc est per accidens præter naturam
 legis divinæ moralis, ut ipse fatetur c.
 14. art. 14: *Disertis verbis; non, inquit,*
legi scripta necessaria est scriptio, sed vox;
hæc sola ad essentiam, illa ad recordationem
legis adhibita est. & paulò post; *Lex non*
scripta non aliā indiget promulgatione præ-
ter vocem naturæ, sive rationem naturalem,
quales sunt leges naturales, & ex hypothesi
cœcitatis in mente humanâ, oriundæ ex
lapsu Adami, factum necessarium. 4. &
 docet Apost. Rom. 2. 15. τὸ ἐπώνυμον τούτου
 γένετον εἰς καρδιάν. 5. Denique ve-
 rum est, quod Lex propriè sit oratio
 ejus, qui aliquid fieri vel non fieri aliis

jure imperat; sed dictamen rationis naturalis est oratio Dei, quâ Deus intus in animo loquitur, & jure imperat hoc vel illud à nobis fieri vel omitti. Neque hoc negare potest, qui sic legem naturalem ipse definit cap. 14. art. 4. quòd sit ea, quam *Deus omnibus hominibus patefecit per verbum suum aeternum ipsis innatum, nimirum rationem naturalem.* Atque hic Filum dissertationis prioris abrumpo.

DISSERTATIO POSTERIOR DE EXEMPTIONE PRINCIPIS à LEGE.

CAP. I.

In Republ. esse summam aliquam potestatem. Et status questionis proponitur.



Uòd in Republ. sit summâ aliqua & absoluta potestas, quæ neminem nisi Deum & gladium superiorem agnoscit, non dubito: Respublica namque consistit in *mæsi civitatis.* Arist. 3. Pol. cap. 6. cùm ergo in omni ordine impossibile sit abire in infinitum ne-

cessariò in ~~nigra~~ civitatis ad aliquod primum deveniendum est ; & quod primum est in civitate, id ipsum etiam summum est ; sed an & quatenus illa summa potestas resideat in principe, sicut res est maximi momenti, sic etiam maximè dubitatur & disputatur à Politicis. Et profecto crudum nimis est illud Ulpiani dictum ; Princeps *legibus solutus est*, si simpliciter intelligatur ; quicquid contradicat Arnisæus de jure Maj. lib. I. cap. 3. idem esto judicium de definitione illâ majestatis personalis Bodini de Repub. lib. I.c. 4. 8. *Majestas est summa legibusque soluta potestas*, de quâ vide Alth. cap. 9. n. 20. ut autem pateat, quid nobis de Exemptione Principis à legibus videatur, quibus sc. & quatenus Princeps legibus exemptus sit, quædam, sed breviter, nobis de Lege præmittenda sunt, & præcognoscenda ad decisionem quæstionis propositæ.

C A P. I I.

Variæ legis considerationes.

LEx est norma & regula earum rerum, quæ vel agenda vel omittenda sunt

*ut Respub. feliciter regatur. Leges sunt duplices; vel divina vel humana. Per Divinas intelligo illas leges, quas olim Deus populo Israëlitico per Mosem dedit; & continentur partim lege Moral, partim lege Forensi seu Politicâ, & partim lege Ceremoniali. Leges humanæ sunt vel naturales vel positivæ:naturales vel eorum sunt, quæ homini cum brutis sunt communia; qualia sunt, maris & fœminæ conjunctio, liberorum procreatio & educatio &c. à J Ctis, *jus naturæ* appellatur, definiturque, *quod natura omnia animantia docuit*: non quod *jus* aliquod locum habeat propriè in brutis; sed id materialiter est intelligendum, quòd *jus naturale*, quod in homine propriè locum habet, sit earum rerum, quæ ipsi cum brutis sunt communes: vel etiā leges naturales earum rerum esse intelliguntur, quæ homini ut homini propriæ sunt; & dicitur vulgo *jus gentium primævum*, quatenus sc. reliquiæ sunt naturæ primævæ necdum à lapsu depravatae. Non est putandum esse essentiale discrimen in-*

tercedere inter hæc duo jura; totum discrimen est tantum materiale, & utrumque fundatur in ratione naturali. Hic observatum velim, leges naturales quoad substantiam easdem esse cum legibus Divinis in moralibus decalogo expressis. vide Ames. cas. consc. lib. 5. cap. 1. sive ergo quæram; An princeps seu imperans solutus sit legibus Divinis, moralibus puta; sive An solutus sit legibus naturalibus, id perinde est. Quantum ad leges humanas positivas, sunt illæ vel *communes* vel *propriae*, illas vocant *jus gentium secundarium*; huc pertinent dominia, contractus, bella, fœdera, constitutiones civitatum, &c. *leges propriae*, quæ & aliæ *politicae* dicuntur, sunt illæ, quas quælibet civitas sibi proprias constituit: atque hæ leges rursus vel sunt de regno ineundo, & leges regni *fundamentales* appellantur, vel de regno administrando. De jure gentium secundario observandum, quæd medium quandam naturam habeat inter jus naturale & jus civile. Vide Ames. l. c. Speciatim ergo

ergo hoc jus in exemptione Principis à legibus non considerabo : & præterea hoc non est negligendum , quod duplex vis in lege distinguenda sit , vis *directive*, & vis *coactiva*; de quo vide Be-
can. Theol. Schol. tract. de leg. ¶

C A P. III.

*De Exemptione Principis à legibus
naturalibus, seu Divinis.*

Prima quæstio esto; *An Princeps le-*
gibus naturalibus, seu Divinis, sit ex-
emptus? vereor ne aliquis mihi offendatur, quod hoc ausus sum per modum
quæstionis proponere , quasi aliquis de eo unquam ausus fuerit dubitare :
nam quis unquam eò inhumanitatis processit, ut Principem legibüs Divinis
seu naturalibüs exemerit ; nisi quod principum pestis Machiavellus hæc &
similia impio suo ore eructaverit: *Prin-*
cipi utilitatis suæ causâ licere promissa, vel
futem datam fallere, & revocare; de quo
monstro opinionis vide Liebenthal.

Coll. Pol. exer. 2. quia tamen animad-
verti tale quid in dogmatibus Hobbæi
latere, visum fuit hoc seorsim propo-
nere: nec multis argumentis cum eo
disputandum erit; sed sententia ejus
tantum in lucem est protrahenda, ut
quod disertis verbis asserere non ausus
fuit, iam cogatur fateri, nisi sibi con-
tradicere velit, quod alioqui ipsi non
insolens; quo facto, non dubito, quin
omnes Christiani hunc hominem sint
aversaturi, cap. 12. art. 4. disertis ver-
bis asserit: *Subjectos esse legibus civili-
bus etiam eos, qui habent summum impe-
rium, seditiosa opinio*: analogus locus
est cap. 6. art. 14. cum his conferan-
tur quæ leguntur art. 16. cap. 6. Fur-
tum, homicidium, adulterium atque in-
juria omnes legibus naturæ prohibentur:
*Ceterum quid in cive furtum, quid homi-
cidium, quid adulterium, quid denique
injuria appellandum sit, id non naturali-
sed civili lege determinandum est.* Per-
strinx etiam hæc verba, sed obiter, in
diff. de Lege in communione priore cap. 4.
quid iam videtur? Princeps lege civili

determinat, quid furtum, quid homicidium, quid adulterium, quid injuria, &c. sit: furtum tamen, homicidium, adulterium, injuria, &c. legibus naturæ prohibentur: quare, cùm exemptus sit princeps legibus civilibus, etiam legibus naturalibus de furto, homicidio, adulterio, atq; injuriis omnibus, necessariò erit exemptus: nam leges hæ naturales juxta illum in legibus civilibus continentur, quatenus vult, quid furtum, quid homicidium, quid adulterium, quid denique injuria appellandum sit, id non naturali sed civili lege esse determinandum. Quid clarius? Quæque dicit hic legibus naturæ prohibiri; furta, adulteria, homicidia, &c. ea disertè dicit pertinere ad leges civiles cap. 14. art. 9. Non est prætereundum, quod addit cap. 14. art. 9. leges naturales eadē, præcepta sc. decalogi de parentibus honorandis, de homicidio, adulterio, furto, & falso testimonio, quidem præcipere; sed implicitè. Quid hoc est, implicitè? explica te. Video: id est, vi pacti cupi Princi-

pe initi; & lex naturalis est, pactis standam esse, cap. 3. art. 1. Sed, an ergo vi pacti tantum cum Principe initi tenentur subditi abstinere ab homicidio, adulterio, furto; & an vi ejusdem pacti tantum falsum testimonium dicere peccatum est? & an vi hujus pacti tantum etiam filii tenentur obedire parentibus? hæc per se nimis futile sunt. Et si rem benè perpendo, nullas hic invenio leges naturales, quibus homines sunt obstricti, quam leges civiles: nam leges naturales, quantum video, huic homini sunt tantum individuum quoddam vagum, & universale aliquod indeterminatum; & suspensi planè manent subditi circa leges naturales, donec à legibus civilibus determinationem suam accipiant: ante leges civiles nullus est homicidio, adulterio, injuriæ, &c. locus; sed tuum demum, ubi quid furtum, quid homicidium, quid adulterium, quid falsum testimonium sit, à lege civili determinatum fuerit: consequenter etiam, cùm lege civili determinetur tantum, quid

in *cive* sit homicidium, adulterium, fur-
tum , Princeps Legibus de homicidio ,
furto, adulterio, &c. quę sunt leges natu-
rales, & quatenus sunt tales, teneri non
potest ; cùm neīo teneatur legibus
naturalibus de homicidio, furto, adul-
terio, falso juramento , &c. antequam
quid homicidium , quid furtum , quid
adulterium sit , sit determinatum. Sed
cur etiam non addit , quid ad mei con-
servationem conducat, lege civili deter-
minandum esse ? nam hic suspensus
hæreo; & nescio quid sibi velit ; utrūm
& illud judicium in imperantes transla-
tum sit ; an verò unusquisque illud
judicium sibi reservaverit : quicquid
dicat Hobbes , vapulabit. Vide cap. 7.
eo magis dico ipsum tollere jus omne
naturale ; quòd dicat cap. 12. art. 1.
ante imperia justum & injustum non
extitisse ; ut quorum natura ad man-
darum sit relativa; quòdque omnis ra-
tio justi & injusti à præcepto & volun-
tate imperantis proveniat : nam , dico
ego, quòd si ante leges civiles justum
aut injustum non extiteret ; ergo nec
jus

ius aliquod naturale, quod eorum natura ad jus sit relativa; ergo fucum nobis facit; quando dicit: furtum, adulterium, &c. prohiberi jure naturali: nisi velit, quod etiam dicit, jure naturali, hoc est vi pacti, de quo jam dixi. Vel si jure naturali antecedenter ad imperia pactis standum est; ergo saltem aliquid justum extitit, ante imperia. Confer annot. ad art. 7. cap. 6. vide meam diss. de Lege in conin. cap. 3.

C A P. I V.

De Exemptione Principis à Legibus Regni fundamentalibus.

Secunda quæstio circa exemptionem Principis à legibus nobis enodanda, quæ plus dubitationis admittit, sequitur hæc: *An scilicet Princeps, seu imperans, sit exemptus legibus regni fundamentalibus?* quæstio hæc satis vexata est inter Politicos; pauci tamen sunt qui affirmativam tenent sententiam. Legibus regni fundamentalibus imperantem eximit Barclajus. lib. de regno & regali potestate, & ante eum Brentius, & post

hunc Gentilis ; & novissimè etiam Hobbes asseruit in tractatu de Cive cap. 6. art. 14. nullis Principem civitatis legibus teneri. At nos contrariam sententiam cum doctissimis & plerisque Politicis tenemus. Rectissimè Ame- sius cas. consc. lib. 5. cap. 25. *Potestas principis non est absoluta; sed duplicem ha- bet limitationem* ; 1. à voluntate Dei, cu- jus est minister Deut. 17. 18. & 2. ab illa voluntate hominum, quæ conditionibus aut legibus illis continetur, in quibus imperii potestas fundatur. Vide Deut. 17. 2 Sam. 5. vers 3. Sciendum enim est dupli- cem esse in omni republicâ majesta- tem ; unam realem, quæ residet apud populum & constitutionem regni con- cernit, & certis legibus quas funda- mentales vocant, comprehenditur ; quin nec dominica monarchia caret hâc reali majestate. *Besol. syn. Pol. I. 1. c. 1.* conveniens namque est, ipsam rempublicam, & totum politicum cor- pus, æque ac personam, quæ rempu- blicam regit, singularia jura habere : alteram personalem, quæ residet in

Principe, & reipublicæ administratio-
nem concernit ; quæ sicut originem
habet à majestate reali , sic & eidem
obstricta est , nec leges regni funda-
mentales immutare potest ; sed juxta
eas administrationem regni accom-
modare tenetur : non enim Imperans
dominium regni obtinet , sed admini-
strationem tantum. Qui in contrariâ
sententiâ sunt, potissimum hoc nitun-
tur fundamento. 1. Quod potent Imperantis
potestatem debere esse abso-
lutam, summam, &c. & quod talis sub-
jectio ad leges hasce fundamentales
cùm hac absolutâ potestate imperan-
tis non possit consistere. Sed quid si
negemus potestatem Principis esse ab-
solutam ? tuta est potentia , quæ viri-
bus modum impónit : aliud est; esse in
republicâ summam & absolutam po-
testatem; aliud potestate in illam resi-
dere apud Principem. Rectè Arist. lib.
3. Pol. c. II. *Regem tantas habere vires*
& potentiam convenit , ut singulis sit po-
tentior, & multitudine ipsa impotentior.
2. Besold. syn. Pol. l. I. c. I. aliter sic
respon-

respondet; quod Imperans dicitur mag-
jestati reali obstrictus, id non de obstric-
tione subjectivâ, sed conservativâ in-
telligendum esse. Profectò quòd Im-
perantis licentia legibus regni cohibe-
atur, non videtur aliquid derogare ip-
sius potestati: quemadmodum enim
Dei potestas non minor est, quòd seip-
sum abnegare non possit; sic nec Prin-
cipis potestas eo minor est, quòd le-
gibus inhibitus, nihil possit, quod in de-
structione imperii sui cedat: contrà le-
ges aliquid posse, aut in sui perniciem,
non est potestatis, sed impotentiæ no-
ta. Plura vide apud *Alth. cap. 39. n. 8.*
Hobbes nititur hoc fundamento, quòd
civium singulæ voluntates in volunta-
te civitatis contineantur, adeoque si
civitas se liberam esse velit à tali obli-
gatione, etiam cives velint. *cap. 6. art.*
14. & cap. 12. art. 4. per civitatem in-
telligit hic Hobbes Imperantem; sed
nos negamus, imò pernegamus, quòd
civis ita absolute in omnibus, ut ille
vult, suam voluntatem voluntati Imper-
rantis possit subjicere: non enim ulteri-

us potest, quam per leges naturales & Divinas licet: & quomodo nobis contrarium probaverit? Putat paci reipublicæ non satis consultum fore, nisi ita fiat. Resp. Hoc negamus: contrarium experientia docet. 2. nititur falsâ hypothesi: sc. bonitatem actionis in eo sitam esse, quod sit in ordine ad pacem; malitiam quod sit in ordine ad discordiam. cap. 3. art. 32. quasi vel pax vel discordia, bonitatis vel malitiaæ actionum moralium mensura sit: contrarium evincitur ex Matth. 16. 26. qui sententiam nostram pluribus cupit confirmatam adeat Alth. cap. 16. n. 5.

C A P. V.

De Exemptione Principis à legibus Regni non fundamentalibus.

PRæcedentibus plus difficultatis habet; *An non saltem Imperans legibus regni non fundamentalibus sit exemptus?* plurimi Politici affirmativam tenent; inter quos etiam est Arnisæus, qui lib. I. de jure maj. cap. 3. contendit

dit, potestatem Imperantis non tantum
legibus solutam & liberatam esse; sed
ne teneri quidein: sed intelligendus
est de legum civilium vi coactivâ. Cæ-
terum imperantem in foro conscienc-
tiæ legibus civilibus teneri, non diffi-
cetur; sed disertè asserit. Quòd autem
imperans etiam legibus civilibus quo-
ad vim earum directivam sit obstri-
ctus, hâc ratione probatur: aut leges
civiles æquæ sunt, aut iniquæ; si in-
iquæ, nemo tenetur; si æquæ, unde
habent suam æquitatem? an non à
jure naturali? jure ergo naturali prin-
ceps non minùs quàm subditi legibus
civilibus tenetur. Rectè Bücher. cap.
3. si princeps legibus solutus est, ergo eti-
am ab omni ratione; quia lex est recta
ratio. Adscribam verba Althusii cap.
9. n. 21. quia magni momenti sunt ad
id ipsum confirmandum: *Lege civili,*
inquit, potestatem solvere, est etiam ali-
quatenus naturalis & divina Legis vin-
culis eandem liberare: nulla enim est, nec
esse potest lex civilis, qua non aliquid na-
turalis & Divina æquitatis immutabilis

habeat admixtum. Objic. Schonb. Pol. l. 3.c.5. Princeps habet potestatem ferendi & abrogandi leges; ergo iis non tenetur. Resp. 1. Negatur Principem semper habere tam absolutam potestatem, ut absolute & absque consensu Optimatum, aut Conciliorum, regni, leges pro arbitrio suo condere & abrogare possit. Alth. cap. 29. n. 4.2. Nulla est consequentia: princeps condit, abrogat leges; ergo iis non tenetur. Si vis obligandi proficeretur solummodo à voluntate principis; nec æquitas quædam naturalis foret speßtanda, hæc argumentatio quandam speciem veritatis præ se ferret: sed longè seciùs, esse inferiùs demonstrabo. Objicit Hobbes. cap. 6. art. 14. quod nemo potest sibi obligari, ergo &c. Resp. 1. omnis princeps in foro conscientiæ obligatur Deo ad leges civiles observandas; idque vi æquitatis moralis, quæ in omni lege civili debet contineri. 2. Posset hic adhiberi distinctione Becani Theol. schol. tract. de Legibus: quod princeps legibus civi-

libus teneatur non ex affectu *obedientia*, sed ex affectu *virtutis*. 3, Negatur simpliciter, neminem sibi ipsi posse obligari : contrà dico ; secundùm principia Hobbæi, unusquisque sibi ipsi est maxime obligatus ; Nam *juris naturalis* fundamentum primum est, ut quisque vitam & membra suam quantum potest tueatur. cap. I. art. 7. cùm ergo ex observantiâ legum civilium non tantùm incolumitas regni & subditorum pendeat, sed vel maxime etiam ipsius principis, sequitur quòd vel maxime etiam princeps legibus civilibus obstrictus sit. 4. Princeps sustinet duplícem personam; unam privatam, alteram publicam : princeps ergo tanquam persona privata, sibi tanquam personæ publicæ obligatur. Nec illa distinctio est absurda ; sic enim distinguuntur à Politicis bona principis, ubi agunt de *subjectione rerum*, quod alia sunt principis quâ talis, alia quâ Théodosii, Justiniani, &c. & maxime Hobbes tenet admittere illam distinctionem : nam quæro ex ipso, an putet

omneim

omnem voluntatem principis habere vim legis; an vero quæ ab ipso proficitur in qualitate principis? ergo Princeps qua persona privata, non minus quam subditi legibus à se latis tenetur, si non magis; nisi velit, quod turpissimum est, propriâ suâ lege damnari: lex ergo sit supra principem; nec princeps legibus, sed leges principi præsint. Plato dial. 4. de leg. interitum, ait, *paratum illi civitati video, in quâ non lex magistratibus, sed legi magistratus præsunt.* Laudatum, næ nunquam laudatum satis est dictum illud Imperatoris in *l. tit. de leg.* *Digna vox est maiestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri; adeò de autoritate juris nostra pendet authoritas.* Objicitur illud dictum Ulpiani: *Princeps legibus solutus est.* Resp. 1. in principio diximus dictum hoc nimis crudum esse, si simpliciter intelligatur. 2. Leges civiles vel universales sunt, vel particulares & restrictæ ad certum hominum genus, aut de certis actionibus, quæ in Principe locum habere non possunt: dictum

illud intellige de posterioris generis legibus, non de prioris. Vel non displicet mihi sententia Bornitii; qui indistinctè Principem subjicit omnibus legibus civilibus, quatenus *αὐτολογίας* ad illum accommodari possunt. 3. Potestas Principis vel ordinaria est, legibusque conformis; vel extraordinaria, architectonica, civilis nomothetica legibusque liberata; de quâ distinctione vide *Besold. Syn. l. i. c. 1.* 4. Multi, ut Vafq. Cortas. & Donell. illud Ulpiani de juris solemnibus interpretantur. Apud *Arnif. lib. I. de jure Maj. cap. 3.*

C A P. VI.

De Exemptione Principius à Legibus, quo ad vim earum coactivam.

Sequitur quarta quæstio; *An non saltem Princeps legibus solutus sit, quo ad vim earum coactivam?* Resp. breviter, 1. si Princeps delinquit contra leges non fundamentales regni, legibus poenariis Principem esse solutum; non ref-

pectu obligationis, sed respectu execu-
tionis. *Alth. Pal. c. 24. n. 49. Resp. 2.* etiam
eatenus Principē legibus poenariis esse
solutū, si peccet contra leges regni fun-
damentales, quod nec populus qui eum
constituit, nedum privatus aliquis, sed
soli Optimates & Ephori regni ipsum
judicandi vel puniendi potestatē habe-
ant. *id. ib. cap. 38.* ubi latè agit de hāc
materiā. Quod dixi Ephoros regni po-
testatem habere Principem judicandi,
puniendi, &c. si contra leges regni fun-
damentales delinquit, nam reliqua
certa sunt, patet ex præcedentibus,
quod subjectus sit legibus regni funda-
mentalibus : nam frustrà erunt tales
leges nisi adsit potestas aliqua coacti-
va, quā imperans in officio contineat-
ur. Liceat mihi argumentari, ut Hob-
bes argumentatur cap. 6. art. 4. *ad se-
curitatem non sufficit pactum de non fu-
rando, occidendo, &c.* Addo ego, rem-
publicam evertendo, &c. : manifesta e-
nim omnibus est ingenii humani pravitas,
& experientiā nimis cognitum, quām pa-
tūm ametā pñnā conscientiā promissionum

*homines in officio continentur ; securita-
ti itaque non pactis, sed pœnis providen-
dum est : hinc inconsequenter omnes
illi mihi procedere videntur, qui cùm
imperantes legibus regni fundamen-
talibus subjiciant, eosdem tamen à
vi legum coactivâ eximunt ; quæ di-
co confirmant etiam verba Arnisæ de
jure majest. lib. 2. cap. 3. Cùm tota,
inquit, *vis legum in eo consistat, quod
jubeant vel vetent, hoc est, ut uno ver-
bo dicam, quod cogant, sequitur vim co-
gendi oportere esse penes eum, qui legem
conditurus est.* Unde memorabile est,
illud Trajani: cùm præfecto prætorio
gladium tradens, dixit: *Hoc gladio
pro me utaris, donec justa fecero ; si injusta
fecero, contra me utaris.* Objicit Arnisæ-
us de jure maj. lib. 1. cap. 3. quod ni-
hil majestate sit superius, unde nec ju-
dicari, nec puniri vel in ordinem re-
digi à quoquam potest, nisi à solo Deo.
Resp. 1. negatur quod neinim se ha-
beat superiorem: reverâ enim popu-
lus, & Ephori, sunt superiores Princi-
pe : nam omnem suam potestatem*

habet Princeps à populo. 2. Si hoc minus placet : sic cape ; Tyrannus definit esse rex & persona publica, & ob tyrannidem incipit fieri privatus ; *Alth. cap. 38.* Contrarium item tenet Hobbes c. 6. art. 12. *quod impunè debeat esse quicquid fecerit princeps* : sed quid argumenti habet ? quòd unusquisque civium suam voluntatem subjecit voluntati ejus, qui sumimum in civitate imperium habet, ita ut viribus propriis uti non possit. Salvâ distinctione superiùs datâ *Resp.* debile fundamentum : nam nos constanter negamus unumquemque civium suam voluntatem aut subjecisse ita absolute in omnibus voluntati imperantis, aut etiam salvâ lege naturæ de conservatione sui ipsius, vel ipso Hobbio teste, subjicere potuisse ; & quid roboris hæc argumentatio habeat, æquus lector judicet : ut punire naturaliter eum nemo potest, qui satis virium non habet ; ita neque jure punire, qui satis virium non habet : Nam 1. satis virium est penes Majestatem realem.

2. Potentiam hic facit mensuram juris ; quod inauditum : quorsum enim distinctio illa; de jure & non de facto , vel de facto & non de jure ; à posse ad esse , dicunt philosophi , non valet consequentia ; sic & ego dico , à posse ad jure posse , vel à non posse ad jure non posse non valet consequentia : nam manifestum est , aliquo casu aliquujus potentiam posse inhiberi , ut non possit , quod tamen jure potest . 3. Supponit hic , quòd jus regnandi fundetur in irresistibili potentia , contrarium demonstravi in disp. meâ de Lege in communii ; non necessum id hic repertere . Fundamentum totius hujus argumenti hoc supposito nititur , quòd alioqui paci civium non foret consultum , nisi sic in omnibus civium voluntas imperantis voluntati fuerit subjecta ; quasi bonitas actionum moralium in eo consistat , quòd sint in ordine ad pacem ; malitia , quòd sint in ordine ad discordiam , contrarium demonstravi ex Matth. 12. 26. sic potius in Scripturam sit analysis , quam in

C A P. VII.

De authoritate Principis in leges.

Quintum, quod mihi enodandum proposui, hoc est : *An tanta sit Principum in leges authoritas, ut omnis ratio obedientiam iis praestandi in totum dependeat à voluntate imperantis?* hoc asserit Hobbes cap. 14. art. 4. nullam æquitatem ad voluntatem Principis presupponi, sed omne justum & injustum à solâ voluntate imperantis jubendo & vetando in leges derivari ; quin voluntatem imperantis rationi esse præferendam ; juxta illud : *sic volo, sic jubeo, stat pro ratione voluntas.* Quod dictum tamen omnes Politici, tanquam impium & tyrannicum, detestantur : & nequis de sententiâ ipsius dubitet , cum his conferat art. 1. cap. 12. obiter hanc hujus hominis sententiam in disp. meâ cit. antehac notavi , nunc paulo fusiùs illam refutabo ; statuo ergo contrà voluntatem imperantis ad

vigo-

vigorem legis civilis esse quidein necessariam, sed solam non suffcere, sed insuper illam in ratione & æquitate naturali debere fundari ; adeoque nisi lex illam æquitatem naturalem contineat, sed rectæ rationi repugnet, potius Deo , seu rectæ rationi , quam Principis voluntati, obediendum erit. Nam i. cùm leges naturales sint leges Dei, ut fatetur cap. 14. art. 4. & leges civiles sint leges hominis (Princeps enim homo est, ut arbitror) & potius Deo quam hominibus obediendum fit, restantibus Apostolis Ad. 5. si contingat aliud mihi imperare Principem, aliud mihi dictare rationem naturalem : v. gr. Princeps jubeat scortationes, adulteria, homicidia, rapinas,&c. contrarium mihi dicit ratio naturalis, potius Deo , seu rectæ rationi , quam Principis imperio, parendum erit. Dicit: impossibile esse leges civiles quicquam jubere contra leges naturales : quia vi legis naturalis, *pactis standum esse*, universaliter & omnibus obediire obligamus. cap. 14. art. 10. sed Resp.

nitur hæc exceptio falsissimâ hypothesis, sc. subditos vi pacti sic in omnibus se ad universalem & cœcam obedientiam aut obstrinxisse Principi, aut etiam obstringere potuisse. 2. Quid si mihi imperet Princeps, quod vel maximè judico adversari legi naturæ fundamentali de conservatione mei. ipfius? quid faciendum? an parendum? sed parendo peccabo contra legem naturæ fundamentalem, cap. I. art. 7. an verò non parendum? & quare? vides ergo non sufficere voluntatem Principis ad subditos ad obedientiam obstringendos; sed insuper non debere juri naturali adversari, sive in jure naturali debere fundari. Video quid Hobbes, aut alias quis pro ipso responsurus sit: nimirūm in statu naturali, ubi jure æquali singuli vivunt, nec per pacta se aliorum imperio submiserunt, judicium de bono & malo, quid conservationi meæ aduersetur, quid non, pertinere ad singulos; secus se rem habere in statu civili, sed vi pacti tale judicium pertinere ad imperantes.

Resp.

Resp. 1. Facit Hobbes ex subditis mancipia imperantis; imò plus quàm mancipia; eo usque sc. homines Principi suo esse obstrictos, ut omni judicio circa ea, quæ ad sui conservationem sunt necessaria, sint destituti; & unicè in omnibus cœcâ quâdam obedientiâ pendeant ex nutu & voluntate sui imperantis. 2. Non est veritati consenteaneum, vi pacti in statu civili subditos se spoliâsse tali judicio; non enim putandum est quemquam aliquid posse, quod tendat in præjudicium legis fundamentalis de conservatione sui ipsius; idque quidem vi pacti; & vel maximè quod tale pactum, ipso Hobbo teste, sit invalidum. cap. 2. art. 18. jure merito dicit *Alth. Pol. cap. 18. n. 43.* quòd resp. sibi administratores constituendo, se ipsam sui servandi facultate non spoliavit. *Obj. Hobbes.* In eo consistit unicum discriminem inter consilium, & præceptum; quòd in consilio ratio parendi sumatur ab ipsa re; in præcepto una ratio parendi sumatur à voluntate imperantis. *Resp. In*

præcepto ratio obediendi sumitur ab utroque; in eo consistit discrimin: nam necessaria quidem est, ut suprà dixi, in præcepto Principis voluntas, sed sola non sufficit; sed præterea requiritur, ne imperantis voluntas juri naturali aduersetur.

CAP. VIII.

De summâ & absolutâ Principis potestate.

DEnique, quia quæ Hobbes habet de absolutâ Principis potestate, cap. 6. art. 13. hactenus dictis maximè adversantur, paucis ea perpendenda & examinanda nobis sunt. Occurrit hic primum definitio summi imperii: id ipsius sic definit; *sumnum imperium est, quo majus ab hominibus jure conferri non potest*; & quantum hoc sit, sequentibus verbis explicat; *sive quo majus nemo mortalium babere potest in seipsum*; & tale imperium, ait, *absolutum vocamus*: age, videamus, quid veri sit in his verbis. I. Hoc observo, quod bene

nè in definitione summi imperii dicat , quo maius jure ab hominibus conferri non potest ; talem etiam nos potestatem in imperante agnoscimus ; sed a jure tantam potestatem subditus in Principem transferre possit , quantam ipse vult , id in quæstione est ; nec ab ipso demonstratum . Quanta sit autem illa potestas , sequentibus verbis prodit ; quod tanta sit , quâ nemo mortaliū majorem habere potest in seipsum ; jam video quid sibi velit ; quando dixit , *jure* ; sed nos negamus & per negamus , jure tantam potestatem subditum posse transferre in Principem : nam i. si tantam potestatem subditus transstulit in imperantem , ergo tantam , quam habuit in seipsum ; ergo jam se omni potestate & imperio , quod habebat in seipsum spoliavit ; sed quomodo hoc consistere possit cum lege fundamentali de conservatione sui ipsius , non video ; & jam hinc patet verum esse , quod cap. 7. dixeram , Hobbiū ex subditis facere mancipia , imd plus quam mancipia imperantis . Conf.

cap. 8. art. 3. 4. Sed 2. unusquisque habet imperium & dominium in suam conscientiam, in actus elicitos intellectus & voluntatis : ergone tantum habet & imperans ? vel an subditus illud imperium transtulit in imperantem, & se eo spoliavit? sed hoc planè omni pietati repugnat. 3. Quod si tantum habet princeps imperium in subditos , quantum unusquisque mortalium habere potest in se ipsum, sequitur quod Princeps subditis injuriam possit facere & non facere ; non facere , quia nemo sibi ipsi injuriam potest facere, seu *volenti non fit injuria*. cap. 3. art. 7. facere ; quia *injuria est pacti violatio*. cap. 3. art. 4. at Princeps subditis pacto est obstrictus, quod violare potest. Dices, Princeps in subditis pacto non esse obstrictum : at ego dico ; ergo neque subditos Principi , quia omne pactum est mutuum ; per art. 9. cap. 2. 2. Dices subditi se invicem sibi mutuo pacto obstrinxerunt de non resistendo voluntati imperantis. cap. 5. art. 8. At ego dico , ergo subditi saltem imperanti non

non possunt facere injuriam ; sed contrarium asseris, cap. 3. art. 4. Vocas tantum imperium , *absolutum* ; & meritò : nam reverá *absolutum* est illud imperium , quod nullis nec naturalibus, nec civilibus legibus obstrictum ex mero voluntatis arbitrio de omnibus potest disponere , nec ulli æquitati est alligatum : sed quis Politicorum , qui vel maximè *absolutum* imperium Principi concedendum censuerunt, tale *absolutum* imperium in Principe agnovit ? profectò brutale est magis , quam homine principe dignum. Sed videamus argumenta , quibus *absolutum* illud imperium in Principe conatur adstruere. Arg. I. Quia omnes cives ita *absolutè* voluntatem suam voluntati Civitatis subjecerunt, ut quidlibet possit impune facere , leges condere , lites judicare , pœnas sumere , viribus & opibus omnium suo arbitrio uti , atque hac *omnia* jure. Resp. I. Tam *absolutam* subjectionem voluntatum civium ad voluntatem imperantis negamus : habet enim & populus suani Majestatem realem legibus

bus fundamentalibus contra licentiam imperantis in unitam, & personali Majestati imperantis contradistinctam. Vide th. 3. & 2. nego conseq. Nam manifestè hoc argumentum tam absolutam potestateim non evincit, qualem descripsisti. 3. Quod jure imperans pro arbitrio suo viribus & opibus subditorum possit uti, id tyrannicum est ; & nititur falsà hypothesi ; sc. *nemini aliquid proprium esse contra eum, qui sumum habet imperium.* cap. 6. art. 15. Vide i Reg. cap. 21. historiam de vineâ Nabothi : nam certè aliud imperium est, aliud dominium ; & Rex director magis, quàm dominus existit. Rectè Seneca 7. de benef. c. 5. *Sub optimo Rege omnia Rex imperio possidet, singuli dominio.* Cum Molina de just. & jure tract. 2. disp. 3. n. 7. *Dominium jurisdictionis imperanti concedimus,* non autem proprietatis ; quòd nimirum bona à subditis non alio jure posfiderentur, quàm olim peculia à servis. vide Besold. *Syn. Pol. in præcogn. Arg.* 2. Petitur ab experientiâ per omnes

nes civitates, quæ sunt, vel fuerunt unquam. *Resp.* Experientia manifestè nobis favet: ubi quæso, in quo imperio imperans aut Princeps habet aut habuit unquam talem potestatem, quam tu descripsisti? in Israelitico imperio contrarium patet, & in aliis omnibus modernis imperiis, & si alicubi tam absoluta potestas in Principe reperiatur, maximè in Dominicá Monarchiâ; sed rectè ostendit Besoldus, quod nec Dominicana Monarchia caret reali Majestate. *Synops.* lib. 1. cap. 1. th. 9. nihil ergo roboris est in hâc experientiâ. *Arg. 3.* Sublatâ hâc potentia, unâ tollitur civitas, & redit confusio omium rerum; nam nisi absoluta sit hâc Principis potestas, jus imperii frustra foret concessum: & exinde nascitur etiam obligatio ad simplicem & absolutam in omnibus obedientiam Principi præstandam. addit; hujusmodi obedientiam quibusdam de causis negari jure posse: aliud enim est, si dico: jus tibi do quidlibet imperandi: aliud si dico; faciam quicquid imperabis. *Resp. 1.* Sublatâ, dicis, hac potentia

una

unà tollitur *civitas*; quid si ego dicar, posítâ illâ potentî, tollitur omnis *pietas*? impium enim est, subditos cœcâ quadam obedientiâ unicè & in totum dependere à voluntate & nutu imperantis: nec 2. effugis distinctiunculâ tuâ: *aliud est* &c. nam si jus dederò Principi quidlibet imperare, etiam me obstrinxi, quidlibet imperanti: nam aut jure aut injuriâ imperabit Princeps, si jure imperat, injurius ego sum; qui jure imperanti non obedio; si injuriâ, ergo ego non intelligor imperanti jus tale quid imperandi dedisse. rursus: jus tale & debitû sunt relata & relata sunt sunul natura, ergo si tale jus obedientiam à me exigendi est in Principe; in me est obligatio ad obedientiam Principi præstandam. 3. Quod dicis, sublatâ illâ potentî, civitatem unà tolli & redire confusionem rerum, manifestæ repugnat experientiæ. 4. Negatur quòd frustra sit imperium, nisi in omnibus simpliciter Principi obedientia præstetur; quid si ego sic argumentarer: frustrâ est imperium, nisi tanta debeatur
obe-

obedientia, ut nullis de causis jure o-
bedientia Principi negari posset; quod
si dicas, uti dicis, imperium propter-
ea frustra non esse concessum; sic &
ego dico, non frustra concessum esse
imperium, ut ut simplex illa in omni-
bus obedientia principi praestanda non
sit: argumenta quæ ex Scripturâ Hob-
bes producit tanti momenti non sunt;
Potissimum est illud ex 1 Sam. 8. sed
ad illum locum responsum est à me in
diss. priori de Lege in Communi, & ab a-
liis viris doctis, & novissimè à Rev. &
Clariss. D. Gisb. Voetio in disput. peculia-
ri ad eum textum, quam huc cum bonâ
ipsius veniâ subjungo.

An-

Annexum.

PRO absurdō duximus thes. I. In statu naturæ ante leges civiles peccari non posse contra 6. præc. de non committendo homicidio : juvat hoc nunc pressius urgere : prob. ergo, *Primum* Omnia consensu, ut justum sit homicidium, debet fieri authoritate publicâ ; sed nulla talis authoritas est in statu naturæ : *omnes enim homines sunt naturâ inter se æquales : inæqualitas quæ nunc est, à lege civili introducta est*, per art. 3. c. i. *Secundò*, causa debet esse gravis ac justa ; at quis dicat causam gravem & justam esse ei, cui voluntas ledendi est ab inani gloriâ, & falsâ virium estimatione, cap. I. art. 4. adeoque peccare non posse committendo homicidium. Obj. *Status naturæ est status belli*, cap. I. art. 12. sed in tali statu jus inibi est omnia faciendi, & possidendi; adeoque proximum occidendi, siquidem ipse id ad mei conservationem necessarium esse judicavero. Resp. I.

Pro-

Probandum erat primùm bellum in statu naturæ ex utrâque parte esse justum ; at qui injustum bellum gerit, peccat contra 6. præc. 2. Nego justè factum id omne esse , quod ad mei defensionem necessarium esse judicavero ; sequendum dictam rectæ rationis. Verùm in eo erravit Hobbes, quod voluerit mensuram juris , seu rectæ rationis , esse vitæ & membrorum defensionem ; cap. i. art. 7. Cùm contrà recta ratio justæ mei defensionis mensura esse debeat. 3. Perplexitas illa, quâ singuli ad mutuam invasjonem necessitarentur in statu naturæ , non magis debet excusare à peccato , quam perplexitas conscientiæ errantis : cùm enim necessitas illa sit hypothetica tantum , & per accidens pravitatis humanæ enata , non debet præjudicare legi naturæ de non committendo homicidio. Idem, si opus esset, probarem de aliis præceptis Decalogi.

C O.

C O R O L L A R I A

Contra H O B B.

1. **S**ocietatis civilis initium non est tantum, aut principaliter, à mutuo metu, cap. i. art. 2. Quod vel inde constat, quod etiam in statu innocentiae fuisset Reipubl. quædam forma: ut Thomas recte part. i. quæst. 96. art. 3.

2. *Damnatus est Pelagius in Synodo Africanâ, quod easenue tantum Gratiam admiserit, quo facilius possimus implere per gratiam, quod jubemur facere per liberum arbitrium; ut fatetur Grotius disq. ad Pelag. dogm. Sed Pelagium superat Hobbes, cap. 12. art. 6. dum dicit, si dem & sanctitatem studio & ratione naturali acquiri; non supernaturaliter hominibus infundi, vel inspirari. Vide Ephes. 2. 8. Phil. 2. 12. 13. 2 Cor. 4. 13. 1 Cor. 12. 3. 1 Cor. 2. 14..*

3. Recte distinguunt nostri Theologi obedientiam Christi in activam & passivam, sumtâ denominatione à

materiâ, sive objecto : neque enim secùs potuisset expiare peccata nostra, & nobis jus vitæ æternæ impetrare. Inanis est ergo omni pietate Hobbes, qui distinctionem obedientiæ in activam & passivam inanem vocat, cap.

14. 23.

4. Norma Juris, & justè facti, non est defensio vitæ & membrorum; cap. 1. art. 7. Hinc sequitur, 1. Malè definiti niri ab illo Legem naturalem, *Dictamen rectæ rationis circa ea, quæ agenda vel omittenda sunt ad vitæ, membrorumque conservationem, quantum fieri potest diuturnam;* cap. 2. art. 1. 2. Falsum esse, quod justè damnatus ad mortem se jure possit defendere cum offensione judicis, aut ministrorum justitiæ: cap. 2. art. 18. 3. Falsum esse, Ergastulos si au fugerint, aut dominum interfecerint, nihil facturos contra leges naturales; cap. 8. art. 4. Sextum enim & octavum decalogi præceptum (idem intellige, de quinto, septimo & nono) sunt simpliciter leges naturales; nec eatenus tantum naturales, quatenus legis natu

ralis

ralis est , pactis standum esse . cap. 14 . art. 9 . Alias enim contra *Juris naturalis primum fundamentum* faceret , qui vi- tam pro patriâ aut Ecclesiâ poneret . Vide Joan. 10. v. 11 . & 15. v. 13 . 1 Joh. 3. 16 .

5. Ineptum est quod ait Hobbes cap. 9. art. 2. Dominium in infantes ejus esse , qui primus eos in potestate suâ habet ; & art. 6. natos matris , non patris esse ; nisi pacto , aut lege civili , aliter statuatur .

6. In statu merè naturali non licet u- nicuique facere quæcunque & in quo- cunque libet , cap. 1. art. 10 . Hinc se- quitur , 1. in statu belli (qui juxta illum est status naturæ) non licere innocen- tes occidere ; Exod. 23. v. 7 . Deut. 22. 23 . aut simpliciter omnibus suis bonis spoliare ; Luc. 3. 14 . 2. Non eò in mo- deramine legitimæ defensionis justè occidi proximum , quod tali casu cen- seatur jus primævum reviviscere .

7. Num prima & fundamentalis lex naturæ sit , seu summa legis Divinæ , quærendam esse pacem ; cap. 2. art. 2.

& 4.art.3. an potius amor Dei & proximi ? Neg. prius : Aff. post. cum Christo, Matth. 22. 36. & Apost. 1. Tim. 1.5. Rom. 13.8. Ineptè ergo bonitas actuum in eo ponitur, quod sint in ordine ad pacem; malitia, quod sint in ordine ad discordiam; cap.3. art.32. vide Matt. 12.26.

8. Num frustra voveamus quod lege aliquâ Divinâ præceptum est; cap. 2. art.13.? Neg. Gen.28.v.20.21.22. Ps. 119. v. 106. Neh. 10. v.29. quin res, simpliciter ut indifferentes consideratæ, non debent Deo voveri. Vide Ames. cas. lib.4. cap.16.

9. An leges naturales non obligent ultra conatum verum & constantem, adeoque faciles sint observatu, ex Mat. 11.28,29,30. cap.3. art.27.30. cap.4. art.22.? Neg. Luc. 10. 27. Rom. 8.7. Eccl.7.20. Rom.7.18.

10. An homines legitimè possint ita simpliciter & in omnibus voluntatem suam unius hominis voluntati subjicere, ut ipsius voluntas in omnibus pro voluntate omnium habenda sit? cap.5.

art. 6. 7. 8. 9. 10. 11. Neg. Hinc sequitur,
Primo; Non esse impossibile legem ci-
vilem quicquam jubere contra legem
naturæ; saltem contra legem hanc,
pactis standum esse, c. 14. art. 10. 2. Te-
neri subditos non obedire Magistratui,
etiam in iis, quæ, ex illius mente, indi-
rectè tantum tendunt in contumeliam
Dei; ut si imperet idolatriam; cap.
15. art. 18. *Tertio;* Falsum esse, 1. Ma-
gistratum in subditos, cap. 7. art. 14.
2. Dominum in servos, cap. 8. art. 7.
3. Parentem in Filios, injurios esse non
posse, cap. 9. art. 7.

G 18-

G ISBERTI VOETII
DISQUISITIO TEXTUALIS

Ad i Samuel viii. v. 11-19.

D E

Jure Regio Hebræorum.

A°. 1653. 26. Octobr. in Acad. Ul-
trajectinâ publicæ disput. subjecta.

Cum textus hic frequenter à theo-
logis & politiciis, sed variante interpre-
tatione, allegari soleat: opera pretium
facturi videmur, si in genuinum ejus
sensum accuratius inquiramus: quod
compendio fiet, si duo capitalia hac du-
bia dissolvamus. Sunt autem ista I. An
verba Samuelis contineant legem mo-
ralem atque immutabilem, in qua jus
divinum & naturale omnium regum
immutabiliter fundetur, cui omnes om-
nium hominum conscientiae se subjecere
debeant. II. An si verba hac in hypo-
thesi tantum spectent populum & poli-
tiam Israelis, contineant legem regiam

E

Israeli-

Israelitarum divinitus prescriptam, quæ in populo illo fundaret jus divinum, quo conscientia omnium in ista politia absque exceptione obligarentur. Prius dubium est circa doctrinam & legem Dei universalem, quâ conscientia omnium tenerentur atque adeo longe majoris momenti. Posterius est hypotheticum circa historiam sacram, & factum particulare regis & subditorum in Israele, an conscientia eorum ad tale quid tenerentur, nec ne; atque adeo minoris momenti.

S E C T. I.



Uod ad prius dubium, sunt multi qui partim tacite præsupponunt, partim exserte determinant omnium regum perpetuam & illimitatam potestatem in subditorum corpora & bona, seu circa onera subditorum à Deo immediate hic præscribi. Sed hanc sententiam ex analogia tum hujus textus tum scripturæ non rite educi, quin potius ei repugnare istis ratio-

nibus evincimus i. Rat. Quia textus dicit, populum Israeliticum, occasione arrepta ex præfectura & administratiōne filiorum Samuelis petiisse sibi regem, qui secundum morem aliarum gentium ipsis præcesset v. 4. hocque ipsorum consilium & postulatum displicuisse Samueli & Deo v. 6.7.8. eoque nomine Israelitas reprehensos culpam suam agnovisse cap. 12. v. 17.19. Concessum tamen regem in Dei indignatione v. 8.9. cum Hosea 13. v. 11. eumque non sine aliquo pacto conventionali constitutum & inthronizatum i Sam. 10. v. 25. *& locutus est Samuel ad omnem populum legem regni, & scripsit in libro.* Quæ omnia arguunt non agi in thesi de quovis rege aut regno, sed tantum isto Israelitico. *Excipiat forte quis, quæ divinitus de rege & regno Israelitis præscripta sunt pariter ad omnes Reges & Principes applicanda.* Resp. dato non concessso, esse divinitus constituta (de quo ad 2. quæst. agendum) nihil aliud tamen hinc inferretur quam jus divinum spe-

ciale quo iste populus, cui lex illa posita
& in quem talis regiminis forma intro-
ducta, teneretur. Quod alios quoscun-
que populos & reges in formia & spe-
cie non magis obligat, quam reliquæ
omnes leges forenses Mosaicæ, (de
quarum abrogatione alibi agendum);
aut immediata designatio & electio
regis perextraordinariam Dei revela-
tionem, & per sortem; aut regis institu-
tio & uncio per prophetam & populi
judicem; aut prohibitio multiplicandi
equitatus Deut. 17. v. 16. aut prohibitio
eligendi regis ex alienigenis, ibid. v.
15. aut prohibitio transitus de regimine
aristocratico-democratico in regium.
1 Sam. 8. v. 7. 8. 9. 1. Rat. Quia spe-
cialis modus seu species & forma re-
giminis huic aut illi populo, regioni,
civitati, pro ratione circumstantiarum
aptanda, est *κατιστις αὐθομωνιην.* 1 Pet. 2. v.
13. atq; adeo non est directe & imme-
diata juris divini moralis sive natura-
lis sive positivi, seu non est juris uni-
versalis, immutabilis ac perpetui; sed
tantum est juris divini permissivi, se-

cundum quod jus positivum huma-
num constituitur à lege regia seu fun-
damentali Principatus ; & hæc à pacto
conventionali communitatis. Proba-
tur, quia jus divinum morale & perpe-
tuum , si quod hic esset , dicendum es-
set fundare aut quamvis regiminis for-
mam tum monarchicam tuim polyar-
chicam, eamque aristocraticam aut de-
mocraticam ; aut solummodo regimen
monarchicum ac regium. Si prius di-
catur , jam habeo quod volo ; indiffe-
rens scil. esse jus divinum ad quamvis
regiminis formam consensu & pacto
conventionali communitatis , sive eo-
rum ad quos hoc pertinet , libere &
rite hic & nunc instituendam ; & con-
sequenter quodlibet regimen politi-
cum quod ad speciem & formam esse
in se & sua naturâ indifferens , mora-
liter nec malum nec bonum , lege di-
vinâ immediate nec prohibitum nec
præceptum. Sin posterius dicatur, ex-
tabulis juris divini probanda esset lex
illa moralis de regimine regio seu mo-
narchico , omnibus populis , omnibus

94. G I S B E R T I V O E T I I
conscientiis cœlitus imposita. Interea
dum hoc nondum præstitum est, uti in
æternum non præstabitur, consideran-
da duo maxima absurdâ hujus opinio-
nis consequentia: 1. Omnem formam
regiminis politici, quæ non sit regia &
monarchica, directe adversari juri di-
vino; & consequenter esse in foro con-
scientiæ illicitam tūm constituentibus,
tūm capessentibus, tūm defendantibus
eandem. 2. Formam Israelitici regi-
minis à Mose usque ad Samuelem ha-
ctenus malam, illicitam, juri divino re-
pugnantein, & Deo displicuisse; ac
consequenter placuisse illam mutatio-
nem seu emendationem in melius scil.
quam populus moliebatur. Quod con-
sequens absurdissimum est, & aperte
repugnat. 1 Sam. 8. vers 6. 7. 8. &
12. vers 17. 18. coll. cum Hose. 13.
vers 11. *Objicitur* vulgo ab illis qui
monarchiam ita extollunt, ut omnes
alias legitimas & optimè convenien-
tes regiminis formas condement aut
saltem contemnant, Proverb. 8. vers
14. 15. *Resp.* textus loquitur de ma-

juritate, & potestate Magistratus, non
de hâc aut illâ formâ Magistratus: qua-
tuin illa directe est juris divini & qui-
dem moralis ac perpetui; ista vero,
Deo hominibus hoc permittente, est
juris merè humani ac positivi, quod ad
specialem pro necessitatibus rerum ac
personarum, earumque circumstantiis
determinationem atque applicatio-
nem. Haud aliter ac conjugium Caji
& Sejæ est juris divini in genere: sed
est juris humani, quod ad liberum Ca-
ji cum Sejâ, non vero aliâ, & vice-ver-
sa Sejæ cum Cajo in societatem con-
jugalem consensum. Sicuti hic Consul
alicujus urbis potest dici à Deo esse
jure positivo divino quoad potestatem
& majoritatem in genere; non tamen
quod ad specificationem talis ac tantæ
in hac urbe potestatis, aut quod ad ap-
plicationem potestatis consularis ad
talem personam, & non ad aliam. In
duobus enim illis intercedit statutum
& arbitrium humanum. Hanc solu-
tionem suppeditat ipse textus Prover. 8.
vers 15. 16. cum adduntur hæc verba:

omnes judices terra. Unde nullus theo-
logus inferet judices , consiliarios , &
præfectos omnes immediate à Deo sa-
lo constitui & dependere , eorumque
potestatem quod ad quantitatem , qua-
litatem & modum immediate à jure
divino positivo in specie determina-
tam esse. Distinctionem necessariam
hanc suggerunt loca inter se collata
Rom. 13. vers 1. 2. & Proverb. 8. vers
15. 16. cum i Petr. 2. vers 13. 14.
Ubi omnis potestas dicitur esse à Deo,
& creatura seu ordinatio humana :
quod utrumque æque regibus ac præ-
fectis , & vice versa applicatur.

Conseclar. Ex dubio hoc expedito
sequitur perperam & frustra textum
i Sam. 8. ad regum omnium , qua ta-
lium , plenissimam , indefinitam , abso-
lutam , & quasi infinitam potestate in
probandam à Barclajo *in tract.* de regno
& regali potestate , adduci : ut etiam à
Waremundo ab Eerenberch *tract.* de
regni subsidiis ac oneribus subditorum &c.
contra Bartolum , Bodinum , Rossæum ,
Brutum , Zepperum & alios , ad proban-
dam

dam onerum impositionem. Quidquid enim sit de jure maiestatis absolute aut limitatio, magis aut minus, deque coercitione aut non coercitione regum sive omnium, sive aliquorum, aut quorumvis dominorum supremorum, quocunque titulo insigniantur, (de quibus omnibus Politici & Jure-consulti disceptare solent, & nos in praesentiarum non disquirimus): nos hoc solum contendimus, legem quam putant regiam divino atque immutabili jure hic omnibus universum Principiis & subditis fixam non esse: ideoque ab allegatione hujus praesunitae legis non satis lectae, aut non intellectae in tanti momenti controversiis decidendis, abstinentem esse, tanquam plane alienam; & aliunde ex jure divino & naturali argumenta conquirenda, quibus conscientiae satisfieri queat.

Alterum dubium, An haec verba praescribant jus divinum particulare regibus & subditis Israeliticis necessario observandum, non minus quam aliæ quæcumque leges forenses Mosaicæ.

Nos negamus ducti istis rationibus.

i. Rat. Quia prædictur tanquam plaga divinitus infligenda, & tanquam malum humanitus exspectandum ac metuendum, & quod ut plurimum tali in casu accidere solet, & apud gentes vicinas ita accidebat: quo allegato inconvenienti, eos absterrere voluit à regio Gentium imperio, & à malo hoc consilio, quod Deo summopere displacebat, abducere. Vide vers 6. 7. 9.

18. Quod ergo tanquam inconveniens, & consequens dannosum prædictur atque allegatur; illud non est moraliter ac honeste bonum, nec talis prædictio aut allegatio prophetæ Samuelis habet rationem statuti aut mandati Dei divinitus ipsi revelati, ut regibus & subditis Israélis tanquam legem fundamentalem ac perpetuam præscriberet. Hanc aliter ac prædictio, præmonitio, ac ratio dissuasoria Christi Luc. 22. vers 34., de abnegatione Petri, non est mandatum Christi, nec Petro jus tribuit abnegandi. Et sic de aliis quam plurimis malis per proph-

tas passim prædictis judicandum : ubi
Dei justa malorum gubernatio atque
immissio, eorundemque prædictio, ho-
minibus jus peccandi aut immunita-
tem non tribuit. i i. Rat. Propter
quod ad Deum clamabunt, ut ab eo
liberentur tanquam malo, illud non
est lex divina à Deo summo & sanctissimo
legislatore lata atque imposta ;
nec consequenter fundat jus divinum.
Sed propter illud factum regis quod
hic refert Samuel , clamabunt ad De-
um &c. vers 18. Ergo. Consequen-
tia probatur. Quia omnes leges divi-
næ morales , politicæ , ceremoniales ,
erant suminâ cum sapientiâ , justitiâ ,
benignitate , æquitate illi populo latæ ;
& consequenter non debebant con-
queri de iis legibus , nec ad Deum cla-
mare , ut ab iis atque effectu & execu-
tione earum liberarentur : hæc enim
aperta fuisset ἀρμαχία & rebellio : sed
contra in talibus statutis tanquam exi-
mia prærogativâ & peculiari peculio
ac prævilegio unice gaudere & exulta-
re cum gratiarum actione. Vide Psal.

19. vers 8. & 119. vers 14. & 147.
 19. 20. 111. Rat. Mos, Consuetudo
 & præsumita lex seu potius usuratio
 regum Gentilium, præsertim in vicinis
 nationibus, erat ut plurimum dura, in-
 iqua, & ryrannica ; si non in totum,
 saltem ex parte: atqui lex regia Israe-
 litarum ut & omnes reliquæ leges po-
 liticæ à Deo latæ erant justæ, nullibi
 divino juri aut naturali æquitati repu-
 gnantes, Psal. 19. & 119. modo cit.
 Jam vero relatio Samuelis continet
 consuetudinem & usurpationem re-
 gum Gentilium, quales postulabant
 Israelitæ & Deus ipsis in irâ suâ con-
 cessit vers 5. *nunc constitue nobis regem,*
adjudicandum nos, sicut omnes gentes.
 Atqui tales sive leges sive consuetudi-
 nes regum Gentilium erant injustæ,
 iniquæ, à jure honestatis divino ac
 morali longe recedentes : uti con-
 stat ex historiis. Quas notatas vide a-
 pud Bodinum lib. 2. Politicæ cap. 2.
 Cum ergo mores, consuetudines, fa-
 cta, usurpationes regum Gentilium
 relata à Samuele, repugnant juri divino
moralis,

morali, & naturali legi caritatis, justitiae, æquitatis consequenter illis *negatius*, *errois* (*Neminem ledere, suum cuique &c.*) non potest dici lege divinâ particulari seu politicâ hæc præscribi : nulla enim lex divina Israelitis lata est, quæ repugnet legi æternæ morali immutabili. Antecedens probatur, quia lex moralis præcipit, ut quisque justus ac pius, iinprimis & peculiari ratione Magistratus tueatur vitam, libertatem, & bona proximi sibi commissi Rom. 13. vers 3. 8. cum Philipp. 2. 3. & 1 Corinth. 13. vers 4. 5. Et faciat omnia quæ sibi fieri velit Math. 7. 12. IV. Rat. Quia factum hoc regum à Samuelè relatum repugnat speciali legi politicæ à Deo Israelitis latae Deutern. 17. vers 16. 17. 18. &c. ubi prohibentur efferre se supra fratres, eosque gravare &c. Ergo non est lex politica à Deo Israelitis lata & in conscientiâ obligans. Neque enim repugnare potest lex politica Israelitarum à Deo lata, uti præsumitur, alteri legi politicæ, quæ à Deo eidem populo

circa eandem materia[m], hoc est circa
 potestatem regiam, in primâ constitu-
 tione Reipublicæ Israeliticæ lata erat.
 Jam vero Deuteronomio 17. legem Regi-
 bus istius populi latam esse utrumque
 in confessu est: sed de præsenti textu
 non est in confessu: est ergo hic textus
 qui præmonitionem Samuelis conti-
 net ad legem priuigeniam à Deo per
 Mosem promulgatam reducendus at-
 que ex eo explicandus; non vice ver-
 sa. Vedit hoc Barclayus, qui distin-
 ctione adhibitâ ~~ne~~ cū ~~ne~~ conciliare stu-
 det. Quam distinctionem mox excu-
 tiemus. v. Rat. Quia si jus regum Israe-
 lis divinitus ipsis concessum & per os
 Samuelis propositum hoc textu conti-
 netur: sequeretur regum illorum ab-
 solutam & illimitatam suisse potesta-
 tem, talemque in ipsis in primâ electi-
 one & regni susceptione à populo fu-
 isse agitam, & præsuppositam; absque
 ullâ conditione sub quâ reges aut pri-
 num eligerentur aut per successionem
 quasi electi & designati admitterentur.
 Sed posterius est absurdum: Ergo &

prius.

prius. Veritas consequentiæ patet , quia omnis conditio per legem regiam seu fundamentalem regi à populo aut proceribus fixa , cui astringere se debeat & sub quâ solâ ad regnum admittatur , infert mutuam pactionem seu conventionem seu capitulationem initiam inter regem & populum , seu contractum mandati (uti vocat Althusius cap. 19. *politic.* 12.) ; consequenter è diametro repugnat regiæ potestati independenti , absolutæ , illimitatae in subditos . Nam qui per dictam pactionem seu conventionem legi illi subjicitur , cāque conditione non impletâ ab alterâ parte subjectionem & obedientiam tantum sub conditione promissam à subditis jure postulare nequit : illius potestas non est simpliciter absoluta , illimitata , arbitraria . Vide consensum politicorum de lege regia , deque pactione , & mutua conventione , apud Reinkingh lib. 1. de regim , sacerulari class. 3. cap. 9. Bodinum lib. 1. de Republ. cap. 8. Besoldi lib. 1. Politic. c. 8. §. 2. Althusius

sium Polit. cap. 19. Tholosanum lib. 7. de Republ. cap. ult. Nucleum discursuum &c. Giessæ ab Hainpilio a. 1621. editum, & ibi priores quinque discursus, inter eos Joachimi Cluten-
tit. *De statu imperii Romani sylloge &c.*
 §. 16. Jam vero reges Israelis non si-
 ne capitulatione & inutua pactione
 fuisse admissos, regnumque illud fuisse
 pactionatum non absolutum, constat
 ex 1 Sam. 10. vers 25. Et proposuit Sa-
 muel populo iudicium, seu legem regni &
 illam scripsit in libro. Et 2 Sam. 5. vers
 3. Venerunt quoque omnes seniores Israe-
 lis ad regem in Hebron, quibuscum pepigit
 rex David foedus in Hebron coram Jehova
 &c. 2 Reg. 11. vers 17. & fecit Joja-
 da pactum inter Deum & regem & popu-
 lum, etiam inter regem & populum.
 v i. Rat. Quia arbitraria illa agrorum
 à legitimo possessore ad alienos tran-
 slatio, qualis inter gentes, imprimis in
 Asia & Africa, tunc & etiam hodiè
 usitata, præjudicat & repugnat juri di-
 vino forensi Israélitarum, de non abso-
 lute alienandis agris. *Leyitic.* 25. vers

23. de-

23. deque vindicatione eorundem per proximos cognatos. vers 25. 26. & restitutione tempore Jubilæi vers 28. Iстis legibus imminicte à Deo Israeli latis omnes obtemperare tenebantur, reges æque ac subditi. Non potest ergo arbitraria illa alienæ possessionis invasio & alienatio (quæ regum moribus tribuitur 1 Sam. 8. vers 14. qualemque stolidè ac prefractè ex contentione, contra Samuelis præmonitionem, petebat populus vers 20. & erimus etiam nos sicut omnes gentes, cum Deuter. 17. vers 14. ut omnes gentes, quæ circum me) ad jus divinum revocari; cum ei tam exsertè repugnet. Quod si quis excipiat agros, domos, possessiones civium ad bonum publicum aliquando aut per modum pœnæ, aut extremæ necessitatis causâ juste alienari: respondeo, talem alienationem non esse arbitrariam aut ad privatam regum ac magistratum utilitatem; consequenter non esse oppressionem & violentum jugum, à quo populus in communi per Deum liberari vellet.

Atqui

Atqui talis est illa ablatio & alienatio, de quâ loquitur Samuel. cap. cit. vers 14. 17. v i i . Rat. Quia exemplo Nabothi regi Achabo postulanti agrum ipsius (& quidem non sine emtione, aut æquivalente compensatione ac permutatione) recusantis juxta legem Levitic. 25. 23. approbato à Deo cum improbatione injustitiae Izebelis arbitriam illam invasionem improbè suadentis & Achabi eam exequentis, valide evincitur jus divinum Regum sive generale sive particulare, non extendere se ad bona subditorum pro arbitrio & ad privatam utilitatem invadenda; uti 1 Sam. 8. vers 12. 14. 16. factum seu mos eorum refertur. Vide 1 Reg. 2. vers 15. 16. cum vers 19. 23. 25. Ubi Nabothi negantis causa justificatur, & Achabi condemnatur: quod fieri non posset si juris regium fuisset agrum Nabothi pro arbitrio & gratis sibi sumere: hoc enim in casu Nabothus gravissime in jus regium & divinum peccasset, & meritò punitus fuisset. v i i . Accedat consensus auto-

rum, qui in verbis Samuelis non *præceptum* aut *præscriptionem* nomine
 Dei promulgatam agnoscunt, sed tan-
 tum *relationem & præmonitionem*, non
 de jure, aut lege divinâ, sed de facto;
 aut non de jure divino, sed de consue-
 tudine, aut moribus regum juxta mo-
 rem & exemplum aliarum Gentium,
 quæ jus politicum divinum & regiam
 libertatis ac caritatis legem per Mosem
 Israelitis traditam ignorabant. Et sunt
 translatores, notarum scriptores, com-
 mentatores, locor. coimm. scriptores
 &c. qui vocem **מְנֻשָּׁה** exponunt *mo-*
rem aut *consuetudinem*, aut *rationem &*
modum agendi, aut *jus usurpatum*. Tran-
 slatores sunt Junius ac Tremellius, A-
 rias Montanus, Translatio Gallica,
 Anglica, Belgica, Italica Deodati. No-
 tæ, Johannis Benedicti, Johannis Ha-
 ræi, Joh. Marianæ, Andr. Osiandri,
 Piscatoris, Deodati, Anglicæ, Belgi-
 cæ, Joh. Drusii, Vatabli; qui postre-
 mus nostram expositionem proponit
 tanquam convenientem, sed pro ea ut
 unicâ & necessario amplectendâ non

deter-

determinat. Munsterus cum Hebræis quibusdam exponit, *decreta*, *statuta*, scil. regis: quod non est *jus* nisi usurpatum & arbitrarium. *Commentatores* sunt Abulensis, Petrus Martyr. Gaspar Sanctius, Nicol. Serrarius ad loc. *Quibus* adde Zepperum in legum Mosaic forens. expl. lib. 3. cap. 8. Pinedam in Ecclesiast. 2. vers 7. §. 3. Et de rebus Salomonis lib. 2. cap. 8. ubi pro ea deī sententiā adducit Gregor. Magnum, Abulensem, Hugonem, Dionys. Carthus. Adde & ex historicis sacris & Chronologis Tornicellum in annal. ad ann. mundi 2959. Bullingerum in epitome temporum, & Sulpitium Severum. Adde & nonnullos Rabbinos: de quibus thesi sequ. *Locor. commun.* & *controversiar. scriptores* Muscarius tit. de lege, ad prium præc. Danielus Isagog. part. 1. lib. 4. cap. 49. Huc refer Thoinam cum scholasticis ad 1. 2. qu. 105. art. 1. & 2. ubi conferendi Cajetanus, Valentia, Medina, Malderus: qui postremus de virtutibus theolog. tract. 5. cap. 6. dub. 4. ut *jus regis*

regis idem sit quod judicium vel statutum regis: ut non sit concessio juris habendi à rege, sed prædictio injuria à rege stulte à populo expetito inferenda. Et Becanum in analogiâ V. & N. T. c. 16. qu. 8. ubi in terminis sic loquitur : *fuit jus tyrannicae potestates, quod reges Gentilium solent sibi usurpare.* Quod fusius ibi explicat. *Casuista*, Amesius lib. 5. c. 5. Balduinus l. 4. c. 12. casu, 4. Azcarius part. 2. theol. moral. lib. 11. c. 4. Baptista Fragosus in regimin. reipubl. Christianæ part. 1. lib. 1. disp. 1. num. 48. Quibus adde interpretes decalogicos, Danhauwerum colleg. deca- log. disp. 10. §. 5. *Politici*, sunt Adamus Contzen. lib. 1. c. 15. Besoldus lib. 1. part. 1. c. 1. §. 40. Ribadenira 1. 2. princip. Christ. c. 4. Daneus lib. 1. Polit. Christ. p. 57. Althusius c. 17. qui imprimis hoc agit. Particulares tract. & quæst. qualis Magdeburgen- sium de Jure Magistratus in subdi- tos. Et an Princeps legibus sit solutus, & de Juribus Majestatis, de regimine, de Jurisdictione, de tyrannide &c.

410 G I S B E R T I V O E T I I
studio hic prætereo. Ex antiquis Gre-
gor. M. lib. 4. exposit. in libros regum
c. i. Clemens Alexandr. l. 3. pæda-
gogi cap. 4. Petenti regem populo non
humanum ($\phi.\lambda\alpha\cdot\delta\rho\pi\tau\sigma$) pollicetur domi-
num, sed quendam se insolentem daturum
ipsis minatur tyrannum, voluptuarium
($\tau\epsilon\upsilon\phi\eta\pi\tau\kappa\sigma$) &c. Cyprianus epist. 65.
ad Rogatianum : Iratus dominus &
dixit, non te spreverunt. Et ut hoc ulci-
sceretur excitavit ipsis Saul regem, qui
eos injuriis gravibus affligeret, & per
omnes contumelias & paenas superbus popu-
lum calcaret & premeret.

3. Atque hactenus genuinum hujus
loci sensum confirmavimus. Restat
excutianius dissentientes aliorum in-
terpretationes : quæ sunt quatuor se-
quentes ; quarum duæ extremæ, duæ
quasi mediæ. Prima est Barclaji lib.
3. de regno & regali potestate cap. 6.
Alberici Gentilis disp. regia. 3. Et a-
nonymi, de jure liberæ monarchiæ,
qui notatur à Contzen loc. cit. qui
contendunt hoc loco jus divinum re-
gibus Israelis à Deo tributum propo-
ni:

ni: addit insuper non nemo esse jus exemplare , ad quod omnes bene constitutæ respuplicæ debeant conformari. Sed postremum illud in solutione prioris dubii refecavimus. Studet autem Barclayus distinctione adhibitâ locum Deuter. 17. cum hoc præsenti conciliare. Quod ibi agatur de officio regis , deque jure imperandi , & quid rex facere debeat : hic vero de potestate regis absolutâ nullis legibus alligatâ, ejusque impunitate (quod scil. à nemine hic coërceri aut puniri possit) & consequentur de jure parendi subditorum , deque eorum obsequio & patientiâ siquidem rex potestate suâ tyrannice abutatur. *Resp.* I. frustra dividellit officium regis à potestate imperandi : ubi enim illud à Deo præscribitur, etiam ista præscribi dicenda est; & vice versa. Probet posterius sine priori in loco 1. Sam. 8. præscribi à Deo , potestatem scil. regiam absque officio regio, & prius Deuter. 17. præscribi, officium scil. regis sine potestate regiâ. Deinde probet jus imperandi

divel-

divelli posse à jure parendi , jus majoritatis à jure subjectionis : hoc est , relatum esse sine suo correlato , & uno posito aut sublato , non poni aut tolli alterum. *Resp. 2.* Male & tyrannicè facere , & quidem cum impunitate , non est jus , nec fundat aliquod jus , nec fundatur in jure divino aut naturali , aut gentium , aut etiam civili. Nam ea quæ turpia sunt , non existimandum est nos posse facere , ut habet. *I. 15. de cond. & demonstr.* Joab occidit Abner & Amasa , & quidem impune , pro illo tempore : Et sic Banditarum cohortes , manipuli furum &c. multa in agris & casis rusticorum impune faciunt , quia ibi nulla est potentia , quâ coërceantur. Multi etiam alii tum Magistratus , tum subditi impune aliquoties peccant , vel quod de delicto non constet , vel quod potentia puniendi non adsit , vel quod legibus permisso & tolerantia istius mali statuta sit. Sed quo stylo scripturæ , quo codicis , quo stylo Philosophico (sive Stoico , sive Aristotelico , sive Platonicō) jus peccandi regi ,

aut populo tribuetur? An nefas, sce-
lus, flagitium, peccatum clamans, di-
cetur esse juris divini, juris regii, juris
fundamentalis regnorum & politia-
rum divinitus statuti, præscripti, col-
lati, atque adeo ab omnibus, ubique
& semper, examissim imitandi, juxta
regulam: perfectissimum in unoquo-
que genere est mensura & exemplar
reliquorum? Jam vero omnem tyrani-
nidem imprimis abutentem esse *legiam*,
nefas, flagitium, peccatum clamans
communi theologorum & politico-
rum calculo comprobatum est. Vide-
ant ne Deum faciant autorem scele-
rum, siquidem tyrannidem fundent
in jure divino i Sam. 8. (uti perperam
opinantur) præscripto. Quod si *exci-*
*pian*t Deum tantum permittere hoc
malum in poenam, & promulgare il-
lam suam permissionem: responde-
mus, ex permissione & justâ atque ef-
ficaci providentiâ Dei circa malum,
nullum jus peccato, aut peccatori na-
ðci aut tribui. Alioquin dicendum esset
Judæ proditionem, Pilati & Judæo-

rum injustam condeinnationem, & occisionem innocentis Christi fuisse juris divini. Quod si rursum *excipient*, Jus illud dici ratione populi, qui ex ordinatione & mandato divino debeat hanc oppressionem ferre, nec possit jugum illud excutere. *Resp.* Jam populus erit subjectum juris regii, & non rex; itaque non erit dicendum jus regis, sed populi aut subditorum tuin collectim tum distributim. Adhæc, malum, damnum, cruciatus, passio, malum non impedire, non coercere scripturariâ phrasî vocabitur jus, potestas, facultas, potentia: cuin sit & debeat dici juris & potestatis oppositum, ejus scil. carentia ac privatio, & sic mera impotentia. *Resp.* 3. quidquid hic dicitur de impunitate facti divinitus per justam Dei providentiam hoc peccatum comitante, est extra oleas: quia agitur & queritur hic de ipso facto regis in se & formaliter considerato; non vero de accidentario aliquo facti concomitante aut consequente, quale est impunitas, quod scil. nemo illud

illud punire debeat aut possit. Hoc enim totum est extra essentiam facti, quod in se inhonestum, injustum, illicitum, & moraliter malum est ac manet; consequenter nullius juris, nedum divini juris; quidquid sequatur aut non sequatur. Rabbini aliqui injustitiam hanc regum Israelis hic probant: R. Jose: in gemara *Sanbedrin* c. *cohen*. *Quidquid hic dicitur licebat ei facere*. Maymonides eodem fere tendit, quamvis paulo aliter. Alii tamen contrarium afferunt; uti fatetur R. David Kimchi in comment. ad locum. Ibidem R. Sel. Jarchi ait, hoc dixisse Samuelem *ut eos absterret, iisdemque indicaret, quid facturus esset rex in regno suo confirmatus*, &c. Plerique ergo improbant & sunt R. Juda, R. Leviben Gerson, &c. quorum verba exhibet Schichardus cap. I. de Jure regio Heb. theor. I. & c. 2. theor. 7. p. 64. Rabbini aliter sententes, ex *oīxōis & mī idōis*, argui possunt; quae tradunt regis potestate in variis limitatam, & non omnino legibus solutam fuisse, quippe qui omnibus di-

316 G I S B E R T I V O E T I I
vinis legibus stricte esset adstrictus
(excepta lege fratriandi), & qui in
jus vocari potuerit immo & vapulare:
uti constat ex *Sanhedrim* c. 2. unde, a-
liisque ex locis contra Casaubonum
hoc evincere conatur Schichardus cap.
2. theor. 7. & c. 4. theor. 14. Cum quo
conferri possunt quae de potestate ma-
gni istius concilii ex Rabbinorum pla-
citis referuntur apud Cunæum lib. 1.
de Republ. Hebræor. c. 12. Et apud
Buxtorf. in lexico rabbin. Sed valeant
opiniones Rabbinorum: quas ut &
Schichardum refutat Joh. Frischmuth
in discursu de regis &c. §. 50. & seqq.
Videamus, quas rationes pro assertione
juris divini communiter ad serre solent
1. Rat. ex voce *mischphat*, in textu, quam
gr. interpres per δικαιομένος, Vulgatus,
Tigurinus, Munsterus, per ius, Chalde-
us & Syrus per νομούσα Arabs per sun-
nat. 1. *legem* exponunt. Resp. Sed nihil
coëgit interpres hāc vocem sic trans-
ferre: cum 1 Sam. 2. vers 13. & 27. vers
11. Eccl. 8. vers 5. Josuæ 6. vers 15. &c.
mischpat significet morem, aut consuetu-
dinem,

dinem, aut rationem, aut modum agendi. Quidni & hic? nulla enim analogia contextus, aut scripturæ hoc vetat: quin contra (uti supra ostensum), à voce juris nos abducit; quod aut subjectæ materiæ non conveniat, aut saltem ambiguitatem hic pariat. Addo, siquidem hæc translatio non sapiat, cum Drusio in notis ad hunc locum, ex hebræo potius reddendum fuisse statutum, decretum, institutum. Sic fere Munsterus in notis ad locum. Ita ut decretum, statutum, institutum, quod ipsi formabant, & unde ipsis jus usurpatum, hic referatur. Et R. Sel. ben Melech in *michlol Jophi* exponens per *chok* & *dat*, confert i Sam. 2. v. 12. 2. Rat. Ex nomine *regis*; ac si illud, ubicunque vere alicui tribuitur, de ratione suâ formaliter diceret absolutam, & illimitatam potestatem in corpora & bona subditorum, in quæ ipsis licet, quidquid liberet. Cui laciniæ quædam sententiarum partim ex Ethnicis scriptoribus, partim ex patribus adduntur: quasi tales amplificationes constituerent

nobis definitiones & exiomata theo-
logica & politica *Resp.* 1. In theologiâ
& scripturâ nihil ipsis præsidii: ex u-
su ergo ipsius vocis *regis* (מלך מֶלֶךְ βασιλεὺς)
tale quid inferri nequit. Herodes, &
Archelaus, Agrippa, Math. 2. & 14.
Actor. 12. & 26. salutantur nomine
regum; qui tamen suberant imperato-
ri Romano, tanquam supremo domi-
no. Similiter in libris Josuæ in distri-
ctu non tam ample terræ Canaan 31.
reges numerantur: præter Og regem
Basan, & Sihon regem Hefbon. In-
ter quos, qui præterquam quod uni-
quantum oppido aut civitati præcessent,
non omnes potiebantur supremâ & in-
dependente potestate. Tales erant re-
ges illi Jereni. 52. v. 32. Et Philistæo-
rum satrapæ aliquando reges nomi-
nantur: ut Abiunelech Genes. 20. &
26. Talmai 2 Sam. 13. vers 37. Quin
& judices Israelitarum Judic. 17. vers
1. & exsertè Moses rex in Jeschurun
Deuter. 33. vers 5. *Resp.* 2. Quod ad
politicos τὸ rex apud illos hanc defini-
tionem non admittit: alioquin ex cen-
su

su regum submovendi essent illi reges, qui aut per electionem tales, & consequenter non gaudent arbitraria potestate: aut quamvis per successionem, non admittuntur ad regni commissione nisi intercedente conventione, pacto, stipulatione, capitulatione. De quo vide Politicos, inter eos Althusium c. 17. & 19. Besoldum loc. cit. Confer. Bodinum lib. 2. c. 2. ubi ait potestate, qualis olim & hodie apud infideles aut gentes Barbaras obtinebat, paucos reges Europeos frui. *Resp.* 3. Quod si usus illius vocis tantum supremam potestatem inferret secundum explicationem juris divini, aut naturalis, aut gentium, aut civilis: utique actum esset de supremâ potestate, & jure Majestatis Imperatoris Romani, Imperatoris Turcici, Magni ducis aut Imperatoris Russiæ, Principis Arausonensis. Principum Italie, ducis Brabantie, comitis Flandriæ &c. qui nomine regis non futuntur. Quæ omnia absurdas sunt. Referatur ergo argumentum ad idealem Reipublicæ Platonicæ specu-

lationem 3. Rat. Quia Deus dedit hunc regem cum tali jure, & in utrumque consensit. Resp. Dedit quidem, sed in irâ 1 Sam. 8. coll. cum Hos. 13. vers 11. additâ comminatio- ne & denuntiatione gravissimi incommodi. Vide commentar. Martyris, & Sanctii. Breviter divinæ providentiae justissima administratio, non fundat jus agendi ea, circa quæ providentia versatur. Vide 2 Sam. 16. vers 10. ubi Deus dicitur jussisse aut dixisse Simei &c. Confer. Jesa. 10. de Assur. Et Luc. 22. vers 22. de Juda, & Exod 7. coll. cum Rom. 9. de induratione Pharaonis. 4. Rat. Quia onera subditorum sunt juris divini & naturalis: ergo locus hic non agit de malo more & usurpatione regum potestate suâ abutentium. Resp. Neg. consequen- tia. Neque enim omnia illa, qualia hic recensentur, ad propriam utilitatem pro arbitrio imposita, sunt divini aut naturalis juris, sed mali moris. Hacte- nus genuini sensus vindicatio. Quæ Politici quidam disquirunt de jure po-

puli eligendi regem, & si abutatur potestate, ipsi non parendi, immo & in extremo necessitatis casu eidem resistendi, quia ad nostram hanc disquisitionem textualem nihil faciunt, ipsis relinquimus: cum hic textus regibus in genere, aut etiam populo, nec hoc nec quidquam aliud prescribat: sed tantum praenuntiet quid ipsorum reges, si qui mores regum Gentilium imitarentur, facturi essent; aut quid Saul primus rex facturus sit: uti Piscator aliquique nonnulli hoc accipiunt.

Secunda sententia est eorum, qui hinc omnem regum & regiminis monarchici potestatem illicitam & in se inalam esse contendunt. Sed ex hoc textu nihil tale exsculpi potest: siquidem nulla regiminis forma aut species iure divino hic improbatur aut approbatur, sed tantum praenuntiatur quid eventurum sit per justam Dei indignationem in populo Israelitico petenti regem. Atqui Samueli & Deo displicuit talis forma regiminis: ergo mala. *Resp.* Displicuit, non quidem ista speci-

alis forma regiminis: sed importunitas populi, & modus hanc mutationem regiminis aristocratico-democratici in regium postulandi, cum fastidio rerum præsentium, & cum ingratitudine in Sainuelem: imprimis, quod non simpliciter regem peterent, sed talem, qualem haberent Gentiles, pompaticum scil. & fastuosum: quod Deus absolute prohibuerat Deuteron.

17. Accedit quod cum essent Dei res publica peculiari quadam ratione, & Deus ipsorum rex, penes quem folium *jus majestatis*, i Sam. 8. vers 7. coll. cum Judic. 8. vers 23.; & illi, פְנֵי. i. peculium, seu peculiaris Dei populus Exod. 19. vers 5. Deuter. 7. vers 6. sicut terra ipsorum Dei terra, ipsique Dei emphyteutæ Levitic. 25. vers 23. hanc regiminis formam, & hanc terræ possessionem, contra peculiarem legem & jus ipsis concessum, imprudenter & pertinaciter mutari voluerint, & Gentilium regum potestatem in terram Dei introduci. *Tertia sententia est Melanthonis in locis comm.*

comm. tit. de Magistratu in fine, hic divinitus præscribi stipendia regibus debita. Quam adoptat Waremundus de Eerenberch in tractatu cui tit. *Verisimilia theologica, juridica, ac politica: de regni subsidiis ac oneribus subditorum, libro I Samuelis cap. 8. traditis: per Melanthonem theologorum & politicorum coryphaeum proposita: reperta & defensa discursus, contra Bartolum, Bodinum, Rossaum, Brutum, Zepperum, & alios.* Sed quidquid promittat hic titulus, nihil totus liber efficit. Neque enim stipendia regum, & onera subditorum jure divino, naturali, gentium justissimè débita (de quibus Waremundus, & passim omnes politici ac Theologi) in propriam & domesticam regis utilitatem convertuntur, nec dominium omne subditis eripiunt, nec absoluto arbitrio regum imponuntur, & quidem summâ cum in æqualitate, ut uni præstantissimos agros pro libitu auferat, & purpuratis atque officiariis suis tradat. Talia autem sunt onera, quibus recensitis Samuel eos à regum imperio, secundum

124 G I S B E R T I V O E T I I
morena vicinarum Gentium, absterret.
Adde quod super oneribus illis tan-
quam super injuriā, oppressione, & ju-
go tyrannico claimaturi sint ad domi-
num. Quid autem notet phrasis *clama-
re ad dominum* collige ex Exod. 3. Jud.
10. Hab. 1. &c. Atqui super legiti-
mis regni subsidiis, & regum stipen-
diis nemo sanus clamat ad dominum,
aut apud Deum & homines de iis con-
queritur; sed potius pro divino illo or-
dine & *iuris* Deo gratias agit, eam-
que ubique celebrat. *Quarta* sententia
,, est Hugonis Grotii lib. 1. de Jure
,, belli & pacis cap. 4. Non esse locum
,, Samuelis de jure vero intelligen-
,, duim, id est, de facultate honeste &
,, juste aliquid agendi (longè enim ali-
,, ter Deuteronom. 17. 14. præscribi), ne-
,, que nudum factum indicari: nihil e-
,, nim esset in eo eximium, cum inju-
,, rias facere etiam privati privatis fo-
,, leant: sed factum, quod effectum ali-
,, quem juris habeat, id est non resi-
,, stendi obligationem. Ideo additur
,, populum pressum istis injuriis Dei

, opem imploraturum, quia scil. hum., mana remedia nulla existarent. In quâ sententiâ omnia non æque solida esse video. Nam *primo*, illi, contra quos hic disputat, cum factum dicunt, non excludunt omne jus: sed facile concedunt indicari & includi huic facto jus regum usurpatum ac præsumptum, & fere commune aliis omnibus regibus Gentiliuni; quin & legem regiam non scriptam & consuetudine firmatam, immo & scriptam consensu procerum & Magistratum inferiorum, saltem tacito, immo etiam expresso, si non planè spontaneo, saltem mixto (quomodo periclitantes in mari merces ejiciunt) cum progressu temporis introductam aut receptam, non negabunt: Sed tantum negant jus divinum aut naturale regibus Israelis, nedum omnibus aliis regibus, hic præscribi. *Secundo*, Omnino eximum, quod dicit, sapit factum regum, longe diversum ab iuriis privatorum. Potestas, & potentia publica & arcana regum ac regnum, siquidem convertantur ad oppressionem.

pressionem subditorum , nec vulgares nec particulares effectus generant , sed totius reipubl. gravissimam quassationem aut subversionem : uti docent politici & Historici in descriptione tyrannidis & tyrannorum , sed longè alter se habet injuria à privatis invicem illata : uti notum est . *Tertio*, effectum juris , quo dicit populuni obligari , non *est jus regis* , de quo hic controvertitur ; quia rex deberet eos majoritate & potestate sua ex Dei mandato particulari obligare (siquidem *mischpath regis* , jus regis hic exponendum esset) & sic illi divinitus ad subjectionem & obedientiam regi nomine talis potestatis præstandam . Ubi est effectum juris , ibi est jus . Jam vero jus secundum Jure consultos constituitur in re vel persona aliqua . Persona illa hoc loco non esset subditus , qui patitur ; sed rex qui sic & sic acturus dicitur , unde denominatio *& mischpath regis* . Quidquid sit de obligatione juris , quam Calvinus lib . 4 . Instit . c . 6 . § . 26 . hic ferè ut Grotius agnoscere videtur , saltem *Quarto* , mi-

ni-

nime solidum est quod Grotius non resistentiam concludit, ex verbis & *clamabis* &c. Aliunde & melius hoc probat J. Frischmuth tr. cit. §. 73. & seqq. Nam cum bella domini gesserunt Israelitæ sub judicibus, & regibus, utique clamârunt ad dominum, nec tamen omiserunt resistentiam. *Judic.* 2. vers 18. & 3. vers 9. 15. & 4. vers 3. &c. Sed uti supra diximus, resistentia est quid extrinsecum & per accidens; nec hoc loco mandatur aut prohibetur populo; multo minus omnibus magistratibus & politicis communis ac perpetua regula tali in casu observanda divinitus præscribitur.

Addenda.

Disquisitioni huic nostrę oppugnandæ hypothesis ex Deuteron. 17. opponi posset. Quod non peccârint Israelitæ petendo regem, nec Samuel prædictione suâ de aggravatione jugi regii, imprudentiam & temeritatem eorum notâyerit: quia Deuter. 17. vers. 14. 15.

Deus mandavit iis, ut cum in terram promissionis pervenissent, regem sibi constituerent. Hæc fuit sententia Maimonidæ; & nonnullorum ex Doctoribus Christianis, Schickhardi scil. de jure regio Hebræorum pag. 6. & anonymi in defens. regiâ pro Carolo I. Magnæ Britanniæ rege. Sed rectè pro sententiâ communiori, quæ eos peccasse statuit, uti supra ex textu, & testimoniis autorum probatum est, respondetur cum Franc. Junio, Augustino, Tostato, in Deuter. 17. mandatum illud non esse absolutum, sed hypotheticum, seu *κατ' θεον τὸ σύγκριτον*. „Postquam, inquit Junius in analysi, „Deus supposuit de regno instituen- „do, sive ex principio bono sive malo, „sive mixto (hæc enim quæstio hoc in „logo minimè agitur) præcipit primum „de electione &c. Qualia sunt præ- „cepta illa ordinem aliquem præscriben- „tia circa malum permisum, Deuteron. „21. vers. 10. & de libello repudii, pro- „pter duritiem cordis. Fuisse autem peccatum peculiare Israëlitarum, non

ita aliorum populorum , petitionem
& constitutionem regis , supra proba-
tum est : nec hic repetò ; præsertim
cum post disquisitionis meæ conscrip-
tionem , nactus sim discursum Joha-
nis Frischmuth professoris Jenensis a.
1653. in 4°. de rege eligendo & depo-
nendo : ubi hæc causa ex sententiâ A-
bærvaneelis eruditè agitur , & omnes
adversantium objectiones solvuntur.
Ubi egregium hoc scriptum lectori i-
starum rerum avido commendavero ,
hâc vice quiescam.

IN-

INDEX CAPITUM.

Dissertatio prior

DE LEGE IN COMMUNI.

C A P. I.

DE Lege & terminis affinibus. Pag. I.

C A P. II.

De legis definitione. 7.

C A P. III.

De materia legis, & an dentur actiones quædam ex se, & sua naturâ bonæ vel malæ? 11,

C A P. IV.

De fine legis; & de pœnis, an futurum tantum spectent, & de tyrannide. 18.

C A P. V.

De potestate legislatoria; & an Atheus sit subditus in Regno Dei? 33.

C A P. VI.

De promulgatione legis, & num naturæ, quas vocamus leges, propriè atque accuratè loquendo leges sint? 43.

DISSERTATIO POSTERIOR.

De

Exemptione Principis à Lege.

C A P. I.

In Republ. esse summam aliquam potestatem, & status quæstionis proponitur. 47.

C A P. II.

Variæ legis cōsiderationes. 48.

C A P. III.

De exemptione principis à legibus naturalibus, seu divinis. 51.

C A P. IV.

De exemptione principis à legibus Regni fundamentalibus. 56.

C A P. V.

De exemptione principis à legibus Regni non fundamentalibus. 60.

C A P. VI.

De exemptione principis à legibus, quoad vim earum coactivam. 65.

C A P. VII.

De autoritate principis in leges.

70.

C A P.

C A P . V I I I .

<i>De summâ & absolutâ principis potestate.</i>	74.
<i>Annexum.</i>	82.
<i>Corollaria contra Hobb.</i>	84.
<i>Gisb. Voet ii disquisitio textualis in I Sam. 8. de jure Regio Hebræo- rum.</i>	89.

F I N I S.

Errata.

Pag. 40. l. 23. sed leg. seu. pag. 60. l. 13. 16. leg
12. pag. 63. l. 8. suam leg. sua. pag. 65. l. 16. prin-
cipius leg. principis.

1323

22

